





Universidad de Deusto



Biblioteca

~~Handwritten scribbles and a large 'X' mark.~~

8/3

15

57352





HOROLOGIUM  
SPIRITUALE  
SCHOLASTI-  
CORUM

Societatis JESU

ORDINEM DIEI ET PRAXES  
INDICANS

OPERA QUOTIDIANA

exactè perfectèq;

obeundi

CONCINNATUM.

à

R.P. JOANNE DIRCKINCK  
è Societate JESU.



ANNO M DC XCVI.  
Cum Facultate Superiorum.



Non defrauderis à  
die bono,  
&  
Particula boni doni  
non te prætereat.  
*Ecclesiastici c. 14.*  
v. 14.



\*\*\*\*\*

PRÆFATIO

Ad Scholasticos  
Societatis JESU.

**R**ogatus crebrò à nonnullis ve-  
strum, Patres & Fratres in Chri-  
sto dilectissimi, ut quemadmodum Sa-  
cerdotibus Ecclesiasticis, ita & vobis  
paullò accommodatius **HOROLOGIUM**  
spirituale concinnarem, annui libens:  
movit enim me I. Quia cum Apostolo,  
omnibus, & vel maximè Vobis Fra-  
tribus meis debitor sum. II. Quia fi-  
nis & regula Societatis in perfectio-  
nem proximorum (quos inter vos pri-  
mas tenetis) impensè me jubet incum-  
bere. III. Quia hoc labore exiguo, sa-  
lutem propriam & gloriam Dei, etiam  
post fata, unicè promoveri desidero:  
nam ut divinitus edocta fuit S. Ger-  
trudis L. 4. cap. 13. In sin. divin. piet.

A


Quan.

Quandoquē aliquis scribit vel alios docet, eā intentione, ut laus Dei per hoc pro moveatur, & profectus, animarum; tunc omnis profectus, quem quis unquam ex illa Scriptura vel doctrina, etiam per mille annorum millia consequitur, totaliter cedit in illius salutem, qui suā intentione hoc Domino primitus prælibavit. Hæc autem aliquo modo, pro tenuitate mea, præstiturus mihi videor, si ordinem diei ac methodum opera quotidiana (in quibus perfectio cuiusq̄, consistit) exactè perfectèq̄, juxta prototypon Christi Domini, & SS. Patrum nostrorum ectypon obeundi, vobis exhibeam; id quod in Libello præsentate conabor: non eā mente, ut omnia in usum vestrum deducatis; sed quemadmodum in mensa lautè instructa, non omnia; sed quæ palato magis arrident, quisque delibat; ita hic,

quod

quod sapit, seligatis, ac constanter degustetis.

Hæc ratione I. Vitam cum Christo, in Deo absconditam ducetis: id est opera vestra ordinaria, non ordinariè, sed perfectè, sanctèq̄, coram Deo, clam mundo, peragetis: & JESU Imperatoris nostri, ac SS. Patrum ac Ducum nostrorum imaginem simillimam, tam mentis, quàm corporis functionibus, seu Jesu vitam, veri Jesuitæ exprimetis. II. Tempus nobilissimum & particulas Diei pretiosas, à nonnullis negligi solitas, utiliter impendetis; atq̄, ingentes thesaurorum cœlestium cumulos pro æternitate vobis comparabitis: verè enim asseruit S. Scholastica: Dies unus bene impensus obsequio Dei, plus valet, quàm millia annorum, ad obtinendum mundum universum. III. Ex voluntate S. Patriarchæ nostri, majorem Dei gloriam mirificè in vobis,




*aliisq; promovebitis ; ac Dominum Deum nostrum assidue laudabitis : re-  
 ete enim scripsit S. Augustinus: Quid-  
 quid egeris , bene age , & laudasti  
 Deum tota die. IV. Deniq; perfe-  
 ctionem ipsam , gloriamque caelestem  
 pretiosam illam margaritam , cujus spe  
 omnia dimisimus , & speciosam illam  
 Rachelem , cujus amore , tota vita la-  
 boramus , absq; magna difficultate af-  
 sequemini. Quod vobis & mihi ani-  
 mitus opto & apprecor.*

*Geista Anno 1696. 20.  
 Januarii.*

*Omnium servus in Christo*

*J. D. S. J.*



# INSTRUCTIO

## PRÆVIA

De perfectione operum.

**T**otum hoc HOROLOGIUM , nil nisi thesaurum in agro cordis absconditum indicat : nil nisi modum vitæ ejusdam absconditæ sonat : quem qui teneat , licet foris & coram hominibus , vitam communem aliorum Collegarum more ducere videatur ; intus tamen & coram Deo ac Sanctis ejus , vitam sublimem , perfectam , sanctamq; instituat : ad quam nos Christus Dominus hortatur Matth. 5. *Estote perfecti.* Et Spiritus S. per os Eccles. *In omnibus operibus tuis præcellens esto.* Et 1. Pet. 1. *Secundum eum , qui vocavit vos , sanctum ; & ipsi in omni conversatione sancti sitis.* Quem in finem requiritur ordo dici , operum accuratio , fervor , cubiculi custodia , intentio pura , aliâq; media.

§. I. De ordine Diei.

**P**rimum perfectionis adminiculū est , operum quotidianorū in singulas diei horas ordinata distributio , quæ , nisi obedientia , charitas , zelus aut necessitas aliud exigat , non perturbetur. A 3 I.

I. Ordinatum hujusmodi temporis partitionem in suis Corinthiis Apostolus inculcat nobis. 1. Cor 4. *Omnia honeste & secundum ordinem fiant in vobis.* Ut enim docet Sapiens Eccle. 2. *Omnia tempus habent.* Hanc laudat S. Greg. Naz. S. Bernardus, Cassianus; aliique PP. mirè commendant, ac præ cæteris S. Laurent. Justin. L. de disc. c. 10. *Singuli, inquit, Deo famulantes studeant proprias interioris atq; exterioris hominis loco & tempore digerere actiones, ne anteponeunda postponant, & agenda pratereant.* Maximi procul dubio periculi est, prout suggerit animus, velle degere.

II. Nec oblitus est, S. Patriarcha noster Ignatius hunc ordinem, temporisq; definiti rationem præscribere: nam 3. p. Const. c. 3. Vult singulos præfinitum sibi tempus rebus spiritualibus impendere cum omni diligentia in Domino: atq; ut nobis præscripsit, ita ipse quoque eundem semper tenorem tenuit in rebus gerendis, & perpetuitatè in omni vita. Hausit hanc methodum à S. Patre P. Claudius Jajus, unus è decem primis sociis. Ut legitur in Hist. Soc. p. 1. L. 12. n. 36. Hausit quoq; P. Vinc.

Vinc. Carrasia, qui ut L. 2. vitæ c. 6. refertur, cùm æris campani sonum aliquò vocantem audiret, extemplò quasi Numinis vocem in aère formatam audisset, abjectis omnibus eò se conferebat; ita, ut vel sub tonforis manibus dato ad examen signo, etiam semi-rasus, mox in genua procumberet. Hos aliòq; innumeros Societatis illustres viros æmulemur, & omne tempus fructuosè, jucundèq; collocabimus. *Sic dies transeat, scribit S. Hieronymus ad Lætam; Sic nox inveniat laborantem. Orationi lectio, lectioni succedat oratio.* Breve videbitur tempus, quod tantis operum varietatibus occupatur.

§. II. De operum externorum accuratione.

I. **A**lterum vitæ absconditæ & abditæ sanctitatis mysteriù est; non ut extraordinaria, sublimia, admiranda & mundi æstimatione magna, verùm ut opera ordinaria, etià minima, non ordinarià sed exquisitâ accuratione & diligentia peragamus. Exemplo Christi Domini Archistrategi nostri, in omnibus ordinariis operibus etiam minimis accuratissimi. O

si licuisset vel per rimulam intueri; quâ methodo, quâ modestiâ, quo exteriori decoro in Nazarethana domo vel preces tenderet, vel cibum caperet, vel matri obediret, vel cum nutritio suo laboraret, vel alia exteriora vitæ communis exercitia perageret! quis sensus, quæ admiratio, quæ devotio mentes nostras occupasset?

II. Hoc Domini exemplum S. Fundator noster toto vitæ suæ religiosæ tempore sectari studuit. Moribus enim ita fuit compositis, ut nec oculum, nec manum sine causa & ratione moveret, & in statu, incessu, accubatione & sessione, mirè teneret. Cæterum in externis operibus præter exactum ordinem, decentem compositionem, & exquisitam accurationem, nihil in eo nisi cuius Societatis Sacerdoti commune à vulgo notabatur. Aded ut cum prima vice de ejus beatificatione ageretur, miratus quidam è summis Ecclesiæ verticibus dixerit: quid cogitaret Societas, quod hominem, in quo ipse nihil, nisi ordinarium notasset, ad Sanctorum honores promoveri postularet? Responsum verò fuit; inter cætera præclara enarrata, hoc

plu-

plurimū momenti adferre ad honores Beato conferendos; quod cum talia ac tanta fecisset Ignatius, vitæ tamē absconditæ amore sanctitatē suam aded dextrè occultasset.

III. Atq; hanc accurationem non in gravioribus solum, verum etiam in minimis, minutissimisq; circumstantiis postulabat S. P. noster Ignatius. Sic pro meditationibus, minutissima in libello exercitiorum præscripsit: & ne hæc oblivioni traderentur, de iisdem examen particulare instituendum præcepit. Et cum in Constitutionibus, p. 3. c. 1. §. 21. materias exhortationum domesticarum indicasset; scil. de abnegatione, charitate, reliquisq; virtutibus; in textu Hispanico, quo Constitutiones conscripsit; modum hæc explicandi ait esse debere; *menudo*, id est, minutissima quæq; proponenda esse. Et p. 6. Const. c. 1. ait: *No perder punto de perfectione*: id est, in absoluta omnium Constitutionum observatione, nec punctum prætermittendum.

IV. Eodem spiritu imbutus extitit P. Jacobus Laynez (cui Societatem in Europa tantum debere dicebat Ignatius, quan-

con-

tum in Indiis Xaverio) hic inquam tantus vir, cum à S. Patre jussus esset modestiæ regulas domesticis promulgare: mirâ sermonis efficaciam in exhortatione regularum minimarum observantiam commendavit, & insigni facundiam magnum coram Deo valorem rerum, hominum iudicio minimarum proposuit; quales sunt, quæ à S. Ignatio, post multas preces & lacrymas profusas, in regulis modestiæ præscribuntur. Quæ omnia S. Basilius quoque in Constit. Monast. hisce confirmat verbis: *Nihil est minutum quod Dei causa fiat, sed grande & spirituale, & ejusmodi quod cælum nobis & præmia cælestia conciliet.* Quisquis igitur hæc parvi ducit, errorem corrigat, & quemadmodum stellæ primo intuitu putantur minimæ; at ratione mox corrigente errorem habetur magnæ, ita parva in obsequio Dei minimi æstimata, iudicio correcto, magna existimemus.

### §. III. De interna operum perfectione.

I. **P**otissimum vitæ absconditæ arcenum est; opera externa non cum Religiosorum vulgo nudè peragere; sed

eadem internis virtutum actibus, sublimibus ac purissimis intentionibus, eximiis intensæ charitatis actibus & suspiriis amorois animare. Atque hoc est secretum illud soli Deo notum, à S. Maria Magdalena de Pazzis c. 6. vitæ tantopere commendatum: ut nimirum perfectionis sublimioris amator, exterius quidem vitam communem ducat; sed interius insignes quosdam virtutum actus; occultas sui victorias, abnegationes sui, passionum & sensuum mortificationes, in falsis delationibus, & injuriis silentium, in adversis, molestisque patientiam heroicè exerceat, aliâque hominibus cunctis ignota, soli Deo perspecta. De talibus verè dicit sponsus. Cant. 4. *Sicut fragmen mali punici, ita gena tuæ, absque eo quod intrinsecus later.* Quasi diceret: Pulchræ sunt, ô Sponsa! genæ tuæ, sicut cortex mali punici; pulchra sunt opera exteriora, quæ videntur; sed quod intrinsecus later, est longè pulchrius.

II. Quanta verò hinc meritum & coronarum cælestium seges exurgat, ex eo liquet: manet quispiam in religione viginti & pluribus annis, accedit anno vice-

Univ. ad de Deo  
Bibliotheca

*Instructio prævia*

simo Stanis laus aliquis, unius anni Tiro ; & Veterano palmam virtutum præripit : unde hoc nisi à vita abscondita, ab internis ferventibus virtutum actibus ? qui velut lux intra humilitatis lucernam clausa, foris quidem ad exempli boni sufficientiam luceant ; sed intus magis ardeant & splendescant ? Degunt eodem in Collegio quadraginta & plures Collegæ , similes stellis eidem Ordinis firmamento infixis, eundem cursum, eadem opera videntur peragere ; & tamen sicut stella à stella differt claritate, magnitudine, motu ; ita hi inter se dissident ; tantumque intercedit discrimen, quantum inter diem & noctem. Pulsetur omnibus hisce ad unam meditationem, faciunt eodem tempore, & quandoq; loco ; unus tamen inardescit, & virum alium induit ; alter manet in glacie & antiqua pelle. Idem de studiorum labore, corporis refectioe cæterisq; actionibus dictum velim ; è quibus unus trigesimum, alter centesimum, fructum refert. Unde verè disparitas nisi ab interno spiritu, & latente fervore & amore ?

III. Hic spiritus, hic fervor, & amor ab-

con.

*de perfectione operum.*

conditus tantopere Christi Domini opera, licet aliàs foris communia, extulit. O si mentis nostræ oculis in animæ ejus arcana penetrare, & vel in præsepio jacentis, vel in Ægypto latentis, vel in oratione pernoctantis, ardorem, affectus & flagrantia spiria intueri licuisset, quæ mentis teneritudo, quæ devotio sancta nos afflasset ? Idem hic latens in corde ardor, Beatissimæ Dei Genitricis ; S. Ignatii, S. Xaverii, aliorumq; sexcentorum Societatis nostræ heroum pectora succendebat. Dum B. Aloytium mira in cælo gloria coruscantem, Anno 1600. 4. Aprilis S. Maria Magdalena de Pazzis in raptu conspiceret ; tota attonita exclamabat : *O quam habet gloriam Aloysius Ignatii filius ! nunquam id credidissem, nisi id Jesus meus mihi ostendisset.* Moxque causam addebat : *Habet gloriam tantam ob actus internos, quibus in vita totus deditus fuit, & quia obediens erat divinis inspirationibus. O quantum amavit in terris ! ideo fruitur Deo, pleno amore in cælis ; & sagitta in cor Verbi a billo directæ, nunc in corde ejus requiescunt. O si pretium, vim & præstantiam internorum virtutum actuum*

actuum



actuum, probe intelligemus! Verè exte-  
rum cum internis, nulla est comparatio. Ha-  
stenus illa ut p. i. vitæ ejus c. 69. recēsetur.

§. IV.

De interno mentis fervore.

I. **U**T clariùs, quis ille fervor sit, qui  
opera nostra animare debet, intel-  
ligis, adverte, quod in vita P. Baltharis  
Alvarez scribit Pater de Ponte c. 31. scili-  
cet fervorem esse duplicem: unus est Ju-  
venum & Tironum, qui ollarum instar ad  
magnum ignem appositarum, vehemen-  
ter fervent, & quod intus habent, cum  
strepitu quodam exterius effundunt. Alter  
fervor est perfectorum, estq; gravis, sub-  
stantialis, planè pacatus, instar ollæ ad mo-  
deratum ignem ferventis, meliusque co-  
quentis id, quod continet; qui fervor etiam  
est diuturnior. An verò tu, & qualem fer-  
vorem habeas, ex analogia alienjus non  
phlegmaticè & frigidè, sed ferventer, &  
cum quadam animi accensione disputan-  
tis aut concionantis collige.

II. Nam fervor i. ex parte animi ope-  
rantis habet ignitum quoddam deside-  
rium,

rium. Tanquam leones ignem spirantes, ait  
S. Chrysofomus. 2. Ex parte objecti, fer-  
vens, cum promptitudine omnes remoras,  
ac difficultates perumpit, quantumvis ar-  
dua generosè & igneè aggreditur, licet  
sint amor proprio molesta. *Quis nos se-  
parabit à charitate?* Rom. 8. 3. Ex parte  
continuationis, fervens non fatigatur ope-  
rando, non retrocedit; sed quo plus agit  
& patitur, eò amplius agere & pati deside-  
rat. *Ignis nunquam dicit sufficit.* Prov. 30.  
4. Ex parte subjecti operantis, fervens etià  
subinde in corpore sentire solet alteratio-  
nem. Sic S. Ignatius orare incipiens, dum  
vel mensæ benediceret, vel gratias ageret,  
mox quodammodo totus ignescebat, &  
color aliàs subfuscus in rubicundum mu-  
tabatur. Ribad. L. 5. vitæ c. 1. Tres pri-  
mè fervoris conditiones corpori haud no-  
cent; quarta nocere solet Tironibus in-  
discretis, si non ex Dei impulsu, sed co-  
natu proprio, vel Dæmonis tentatione,  
vel superbix instinctu, quasi cogant natu-  
ram. Agendum itaq; cum fervore, sed non  
absq; discretionem.

III. Ex hoc stabili fervore, oritur con-  
stanti-

Universi  
Id de Do  
Bibliotheca

*Instructio prævia*

stantia in ordine dici, in operibus ordinariis perfectè obeundis, atq; in omnibus reliquis virtutum acibus. Fervor enim, animi mobilitatem firmat, molestias occurrentes vincit, atq; in arduis robur addit. Quantâ constantiâ fuit Eruditissimus noster P. Franciscus Suarez in explenda integrè meditationis hora, ut diceret, si è duabus altera necessitas imponeretur, vel solitam ritu Societatis orandi horam, vel quæsitam tot annorum labore scientiam amittendi, æquiori se laturum animo, hujus, quàm illius jacturam? Quanta constantia P. Francisci Labara, in observantia regularum; ut in publica concione de se dicere sit ausus, se per 40. annos in Societate, nullam regulam cum plena advertentia fuisse transgressum. Lancic. op. 8. c. 10. Taceo alios Societatis Viros illustres penè innumeros: quos ut imitemur, exstimulet nos Apostoli admonitio 1. Cor. 15. *Itaq; Fratres mei dilecti, stabiles estote & immobiles, abundantes in omni opere Domini, scientes, quòd labor vester, non est inanis in Domino. Ut verò id ipsum impetremus, simus, Spiritu ferventes* 1. Cor. 12. *Qui*

CHR.

*de perfectione operum.*

*currunt?* quærit S. Bernardus Serm. 23. in Cant. *Spiritu ferventes anima. Qua amat ardentius, currit velocius, & citius pervenit. Amemus igitur, & serveamus, non secus, ut ait P. Nierenberg. de ad orat. L. 2. c. 5. Ac si hodie omnes homines simul creati essent, quorum unus solùm salvandus, reliqui omnes damnandi, is scilicet, qui ad ferventiorum charitatem pertingeret.*

S. V.

*De impedimentis perfectæ operationis.*

**F**ervor, ut dictum, omnia impedimenta perfectionis perrumpit: præcipua sunt,

- I. Impedimentum operationis perfectæ est *Prudentia carnis*, in amore sui fundata, quæ sectatur blanda, averfatur difficilia, horret ad ardua, & laborum certamina ideòq; opera nec integrè nec perfectè obit.
- II. Impedimentum est *levitas animi*, alia & alia agenda ingerens, mentemq; per diversa distrahens, atq; ad cursim & præproperè omnia peragenda inclinans, ut ad alia perveniat.

III. Impedimentum est *Spes vana*, præsentem negligentiam vel dilationem, postea resarciendi: cum tamē actio semel imperfecte peracta, nunquam possit fieri melior, & quod in illa meriti aut gloriæ divinæ periit, æternūm perierit.

IV. Impedimentum est *exigua negotiis presentis aestimatio*, quod tamen tanquam gloriæ æternæ comparandæ mediū à Providentiæ Divina tibi suppeditatur.

V. Impedimentum, & gravissimus perfectæ operationis hostis est *Respectus humanus*. Quem omni studio debellare satage, atq; ut id præstes, cogita. 1. An non Deus est præstantior, utilior tibi, magisq; necessarius, ac major Benefactor, quàm ullus mortalium? quanta ergò stultitia est, Deū homuncioni postponere? 2. Omnes homines respectu Dei, minus sunt, quàm lumbricus respectu hominis: quanta ergò dementia, malle offendere Patrem, & summum Benefactorem, quàm terræ lumbricum? 3. Longè majora bona sunt, quibus te ob respectum humanum privas, quàm ab illo mortalium expectare queas: & longè graviora mala sunt, quæ incurris, quàm

quàm illa quæ ab homine metuis. Talia sunt, offensa Dei, animæ conspurcatio, Spiritus Sancti contristatio, animæ vulneratio, profectus spiritualis retardatio, conscientie remorsus, mortis amaritudo, lucri æterni neglectus, & pœnarum purgatorii incredibilis acerbitas. An non igitur pro viribus hæc pestis eliminanda, & cum Apostolo dicendum: *Si adhuc hominibus placerem, Christi servus non essem?* Ad Gal. c. 1. Et illud S. Hieronymi Epist. 26. *Pri-ma virtus monachi est, iudicia hominum contemnere.*

## §. VI.

### De intentione operum.


I. Intentio bona est actus voluntatis, opus ad finem supernaturalem dirigens. Bona est ex metu pœnæ orta: melior ex spe præmii cœlestis profecta; optima est, ex amore benevolentis & amicitis erga Deum procedens. Pura est, nihil terrenum, nihil humanū aut vanū admiscens, sed solam Dei gloriam, aut ejus gustum, ac beneplacitum spectans.

II. Intentio duplex est, actualis & virtualis.

tualis. Actualis est, quam quis actu perceptibiliter elicit: Virtualis verò est, quæ ex vi intentionis antè elicitæ moraliter insuit, & quasi imperceptibiliter perseverans, causat actionem præsentem. Atque hæc minimum ad valorem & meritum operis requiritur. Cum verò intentioni facile vanitas aliqua, vana gloria, aliudve peccatum veniale admisceatur; atque ita hæc destruat & quodammodo revocetur; laudabile & tutius est, intentionem actualem crebrius renovare.

III. Perfectionis cupidi imitentur accuratiores Dei servos, singulis actionibus, præsertim notabilioribus, actualem intentionem præfigendo; paucis saltem verbis: Propter Te Deus. Hoc præscribit Apostolus 1. Cor. 10. Omnia in gloriam Dei facite. Et S. P. Noster 3. p. Const. c. 1. Vult nos rectam habere intentionem circa res omnes particulares. Excelluit in eo R. P. Nicolaus Lancicius, famam sanctitatis clarus; qui dono Dei eò devenerat, ut singulos passus, dum incederet, & singulos characteres, dum scriberet, actualem intentionem Deo offerret, in mente dicens: Propter te. Idemque aliis faciendum suadebat. IV.

IV. Quò autem intentio evadat perfectior, quadruplicem habeat dimensionem, quam in charitate requirit Apostolus ad Ephes. 3. Sit itaque I. Latitudo ejus tanta, ut complectatur totam actionem, & minimas ejus circumstantias; totum hominem & omnes ejus potentias; omnia motiva omnium virtutum, omnem intensionem, & extensionem omnem fervorem, devotionem & amorem possibilem; omnem denique fructum, meritum, impetratorium, satisfactorium. Extendat se ad multa, v. g. preces, corporis afflictationes. Offer pro omnibus hominibus, pro omnibus peccatoribus & hæreticis convertendis. Exemplo Christi Domini orantis, laborantis, & morientis pro omnibus, & volentis omnes homines salvos fieri. Et exemplo Apostoli 1. Tim. 2. Optantis orationes fieri primùm pro omnibus hominibus. Sic enim amplior & universalior exercetur charitas, plùsq; promeretur. Extendat se intentio etiam ad opera vilissima, quod P. Lancicius probat ex S. Chrylostomo Hom. 9. in Epist. ad Coloss. & ex S. Hieronymo, v. g. ad spura jacienda, ad purgamenta narium deicienda.



*Instructio prævia*

Omnia enim vilia cum charitate facta sunt aurea atq; divina, ut docet S. Anselmus in c. 3. Epist. 1. ad Corinth. — Præxin 20. intentiones seu 20. diversarum virtutum motiva conjungendi, vide in Heliotropio P. Alphonfi Gianotti S. J. & in P. Lancicio opusc. 11. c. 1. Sed omnia referenda ultimò ad præstantissimum motivũ charitatis, quæ est origo omnium virtutum, ut docet S. August. de moribus Eccl. cap. 1.

2. Longitudo extendat se ad omnia totius vitæ momenta, ad totam æternitatem & ultrà ; si quid ultrà possibile foret. Ad volendum & faciendum aliquid semel pro semper : atq; ad retractandum omne tempus præteritum malè transactum.

3. Profunditas se porrigat ad humiliationem sui profundissimam, ad compensationem & retractionem omnis mali, tam à se, quàm ab aliis commissi. Volendo laudem Deo denegatam supplere pro omnibus.

4. Sublimitas elevetur ad conjunctionem sui cum Christo, B. Virgine, & omnibus Sanctis, omnia offerendo per illum &

*de perfectione operum.*

& in illo, ut sint ad gultum Divinæ majestatis, perpetuumq; ejus sacrificium, ipsi tanquam vitæ ac mortis Domino debitum; & quia ipse est summũ Bonum. — Quomodo verò opera nostra cum operibus Christi conjungenda, docuit & fecit P. Ludovicus de Ponte, ut refertur in vita ejus L. 2. c. 2. Idem præstitit P. Stredonius, ut in vita c. 13. legitur.

§. VIII.

*Media perfectè operandi.*

I. PRæter exactam ordinis Diei observationem, de qua antè dictum ; primum medium est seriatim & totius animi integra applicatio, ad agendum, quod agis : nam pluribus intentus minor est ad singula sensus. Neq; festinandum, v. g. sub oratione, vel horarum recitatione, ut ad studia veniatur : sed opus præsens ita peragendum, ac si ultimum vitæ foret, nec aliud restaret.

II. Alterum medium est observatio accurata omnium quæ vel Institutum nostrum, vel Superiorum instructio, aut ordinatio præscribit ; vel ipsa mens tua aut ratio

*Instructio prævia*  
tio dicitur. Hoc enixè, curabat B. Aloysius,  
ut mentis suæ lumen factis æquaret. L. 2.  
vitæ c. 7.

III. Præstantissimum medium opera  
singula bene peragendi est; vel memoria  
præsentis S. Angeli Custodis, vel memoria  
S. Ignatii Fundatoris; vel potiùs fides viva  
Dei præsentis, omnia spectantis, ac te ac-  
curatè observantis: quæ sanè plus apud te,  
quàm ipsiusmet Superioris oculus, valeat  
necesse est. Quis autem ageres? quis orares  
in cubiculo, si P. Generalem, aut Provin-  
cialè per rimam ostii tibi invigilare nõsles?

IV. Memoria mortis, iudicii, brevitatis  
vitæ, & æternitatis, plurimùm juvat ad  
rite instituenda opera. In omnibus cogi-  
tationibus, locutionibus, sive actibus tuis,  
dic; ait S. Bernardus: *Itane ageres*, si hanc  
scires pro certo novissimam vitæ tuæ ho-  
ram? *In form. hon. vitæ*

V. Juvat quoq; ad bene perfectèq; ope-  
rèndum crebra aspirationum, & piorum  
suspiriorum ante, sub, & post opus usur-  
pationis, de qua suprâ s. 3. jam petendo gra-  
tiam, jam mentem ad Deum elevando, jam  
Sanctorum patrociniâ implorando, jam  
pro

pro successu gratias agendo. Excelluit in  
his actibus mirè Pater noster Didacus Mar-  
tinez, Peruanæ Provinciæ lumen, eximie  
sanctitatis, miraculis ante & post obitum  
clarus, qui multos centenos, imò millenos  
hujusmodi affectus amorfos eliciebat. Ut  
in processu de eo, in Sanctorum numerum  
referendo legitur.

VI. His mediis sedulò utendo, id affe-  
quæris 1. Ut non negligenter & obiter;  
sed ut S. Pater noster exigit; omnia peragas  
cum omni diligentia in Domino. Et pudore  
suffundèris, si te triplo majorem diligen-  
tiam, conatum, studium adhibere notes ad  
profana, quàm ad spiritualia in oculis Dei  
pretiosiora: si te advertas audire, legere,  
vel tractare studia humaniora aut philoso-  
phica avidiùs, quàm sacra; si diligentius te  
prepares ad dissertationem, defensionem,  
concionem, quibus ages cum hominibus;  
quàm ad meditationem, orationem, com-  
munionem, quibus ages cum Deo & Cœli-  
tibus. 2. Omnia & singula ages exactè,  
cum cœlesti quodam decoro, virgineâ mo-  
destiâ, & sincerâ, non fucatâ omniù mem-  
brorum compositione; sive publicè, sive  
privatim ea peragas. B 3 S.

## Motiva perfectè operandi.

I. Motivum primū est voluntas Dei: *Hæc est voluntas Dei, sanctificatio vestra.* i. Thess. 4. Ut scilicet in omni conversatione & actione sancti sitis.

II. Æterna Dei electio. *Elegit nos in ipso, ante mundi constitutionem, ut essemus sancti & immaculati in conspectu ejus in charitate.* Ad Ephes. 1.

III. Prædestinatio divina: *Quos præscivit & prædestinavit conformes fieri imaginis Filii sui.* Rom. 8. Signum ergo prædestinationis est, vitam, & actiones Christo conformare.

IV. Creatio nostra. *Homo ad imaginem Dei conditus est, ut imitator esset sui Authoris.* ait S. Leo, Serm. 1. de Jejun.

V. Redemptio nostra, Christi; Incarnatio, vita, passio, mors. Quæ omnia Christus præstitit; ut tum gratiam nobis mereretur, tum, ut exemplum bene vivendi præberet. *Seipsum tradidit, ut exhiberet ipse sibi gloriosam Ecclesiam, non habentem macula aut rugam, aut aliquid hujusmodi, sed ut sit sancta & immaculata.* Eph. 5.

VI.

VI. Præter hæc communia, nobis peculiaris est vocatio ad Societatem JESU: quo enim sine nos vocavit? ut scilicet; *Secundum eum, qui vocavit vos, sanctum, & ipsi in omni conversatione sancti sitis.* 1. Pet. 1. Vocavit enim nos Deus ad Societatem, in primo etiam nō flore vernantem, tanquam ad Scholam insignem perfectionis; in qua & ipsi disceremus vitam sanctam, eamq; alios doceremus. Si igitur turpe est literarum studio sub finem anni, non majorem, quàm sub initium, scientiā acquisivisse: quàm id turpe erit Religioso in Schola tam illustri? Cū ut docet S. Bernardus: *In Religioso debeat esse angelica in corpore conversatio, in corde prophetica expectatio,* (beatitudinis promissæ Math. 19. 29.) *in utroq; Apostolica perfectio.* Sermone 2. de alto & basso.

VII. Taceo, quòd Angeli Tutelares orationes & actiones nostras offerant Deo: quomodo verò imperfectionibus scaten-tes præsentare audebunt? Taceo, quòd operum telam quotidie texamus, ut ex ea nobis aurea vestis nuptialis contextatur, quā induti in nuptiis agni comparebimus;

B 4

quam

quàm ergo indecens est aureæ vesti, attere lacinias & fila cannabina? ut Deus revelavit Patri Balthasari Alvarez. Denique cum tantus sit numerus in mundo, (utinam non etiam in ordinibus religiosis) imperfectè, tepidèq; viventium & agentium: an non saltem nobis, qui JESU Socii dicimur, & sumus, Jesu vitam perfectam æmulari, par est, ut numero paucorum selectorum Dei amicorum accenseamur? vel certè an non saltem eà perfectione nobis est agendum pro cœlesti regno, seu potiùs Deo ipso, summo Bono nostro; quàm Mundani opifices laborant pro mundo, & lucro tetreno? *Utinam Fratres, sic nos essemus cupidi gratiæ spiritualis, quemadmodum seculares homines pecunia temporalis!* exclamat S. Bernardus.

## S. IX.

## Exempla perfectè operantium imitanda.

I. **E**xemplum primum & longè perfectissimum est Deus ipse: nam *Dei perfecta sunt opera.* Deut. 32. Deus perfectissimè agit, & operatur magna æquè ac par-

parva: tantam enim perfectionem habet in sua specie formica, quantam elephas in sua: tantam passer, quantam aquila, tantam trigla, quantam balæna. *Estote ergo vos perfecti, sicut & Pater vester cœlestis perfectus est.* Matth. 5.

II. Exemplū perfectæ operationis excellentissimum præbet nobis Redemptor noster Christus, idea & prototypon nostrū, identidem inspiciendum. Quantò quisq; se ei in virtutis imitatione hinc conformare studuerit, tantò ei in prima gloria & claritate appropinquabit. ait S. Bonaventura in form. Novit. p. 1. c. 32. ubi & ita hortatur: *Describe tibi in corde tuo mores & actus Christi: quàm humiliter se habuit inter homines, quàm benignus inter discipulos, quàm modestus in edendo & bibendo: quàm misericors super pauperes. Quomodo nullum spreuit vel horruit, etiamsi erat leprosus. Quomodo divitibus non adulabatur. Quàm liber fuerit à curis mundi; nec anxius pro corporis necessitatibus. Quàm verecundus in visu, quàm patiens ad contumelias, quàm mitis in responsis; non enim studuit se vindicare verbo mordaci & amaro; sed blando*

humili responso alterius malitiam sanare. Quomodo mulierum familiaria colloquia vitavit causâ exempli; unde etiam Discipuli mirabantur, quando solus cum Samaritana loquebatur; eò quòd quasi insolitum videbatur in ipso. &c. Hæc sit sapientia tua, hæc meditatio tua & studium semper aliquid de ipso cogitare, unde & provoceris ad imitandum eum, & afficiaris ad eum amandum.

III. Exemplum exhibet Beatissima Virgo, à Christo Sole justitiæ illustrata, velut Luna perfecta & plena; quæ maxime gratiæ perfectissime cooperata, eò pervenit ut omnes Sanctos & Angelos gratiæ & gloriæ superaret. Ut hortatu Patris Martini Gu-tierii (cui B. V. Spectabilis propterea gratias egit) docuit P. Franciscus Suarez L. 9. de gra. c. 6.

IV. Exemplum offert nobis S. Patriarcha noster Ignatius, miram in omnibus actionibus suis accuratorem, ordinem, decorem fervorem, constantiam, & intentionis puritatem procurans, nil nisi Dei majorem gloriam spectans (quod ultimum in constitutionibus, 242. vicibus repetens valde

nobis inculcat) huic perfectioni, præsentem diem cum hesterno conferens, & cum profectu profectum, indies tanta incrementa adjecit, ut suum illum Manrelanum statum (in quo mirabilibus donis fuit illustratus) extremâ jam ætate, prima rudimenta & lineamenta appellaret, quæ quotidie in se Deus expoliret atque perficeret. Atque hujus internæ sanctitatis testes erant radii lucis cœlestis, foris promicantes, quos S. Philippus Neri, Joannes Paschalius, Alexander Perronius, & P. Oliverius Manaræus observavere; sed in primis P. Ludovicus Consalvus Domus Professæ Romanæ Minister, qui quotiescunque orantem S. Ignatium in cubiculo adiit; quod accidit sæpissime, cœlesti splendore radiantem conspexit. Teste P. Lancicio opusc. 18. de gloria S. Ignatii.

Hæc exempla luculenta crebrò intueamur, tanquam specula fulgidissima, & imitari conemur; ut Jesu vitam, veri Jesuitæ, vitam nostrâ exprimamus cum P. Ludovico de Ponte L. 2. vitæ c. 3. sæpe dicentes: *Eo modo orabo, docebo, colloquia instituem, aut cibum sumam, quos Christus Dominus,*

ad de  
 B. V. S. Ignatius) *Angelus vel Sanctus*  
*quispiam e caelo redux ad perageret.*

S. X.

De cubiculi Custodia.

**P**erfectionis compendium, est vita abscondita, & silentii, cubiculiq; custodia: quæ, quantum fieri potest, & per officium ac charitatem licet, se à strepitu humano abstrahit & in cubiculi sui solitudine se recondit: hæc enim ut docet S. Basilii, est cœlestis doctrinæ Schola, divinorum artium disciplina: illic Deus totum est, quod discitur. Quam vitam Christus ipse triginta annorum spatio præclare nos docuit.

I. Cubiculum teste S. Laurentio, Justiniano, est Sponsi cœlestis reclinatorium, Schola scientiæ, cœli scala, quâ liberè in vastissima cœlorum spatia conscenditur. Cella enim amanti cœlum est. Mihi oppidum carcer est, solitudo paradus, scribit ad Rusticum S. Hieronymus. Hic igitur quiesce, hic stude, lege, ora, & absconditis cœli deliciis fruere.

II.

II. Certè nihil unquam egregium sperari potest à Religioso nimis vago, & cubiculi custodiam negligente. Cella enim est officina heroicorum operum, P. Jacobus Alvarez Tom. 2. l. 3. p. 5. verè scribit: *Nunquam vidisti aliquem virum spiritua-lem, sanctitatis amatorem, qui non esset amicus cellæ publici, (in quantum poterat) declinator, silentii seclator.* Si enim tu, ultra id, quod status tuus requirit, & necessitas exigit, discursus amas, per atria Domûs, imò & per vicos & plateas ambulas, quærens non quem diligit anima tua; sed quem cupit curiositas tua, & confabulationibus variis occuparis; nec vir spiritualis efficiaris, nec te sanctitatis amatorem ostendes. Causam reddit; quia mentis puritas, in officina puritatis, nempe in cella comparatur; & spiritus pacatus & quietus, spiritus fervens & ignitus non in foris, non in negotiis sæcularibus, sed in loco spiritualibus apto, scilicet cubiculo, conquiritur.

III. Quantum igitur obedientia sinit, quantum charitas, zelus & salus proximi permittit; ab humanis solatiis, evagationibus

nibus

nibus & confabulationibus abstrahere, fuge portam, fuge domos & plateas, atque in cubiculi tui penetralibus abdere. Bonus cellita, ait Thomas de Kempis L. 1. de doct. claustr. c. 7. Civis est cœli, amicus Dei, socius beatorum Angelorum, cognitor secretorum, inspector supernorum, victor tentationum, expulsor Dæmonum, bellator vitiorum, contemptor mundanorum, neglector curarum, possessor quietis, obtentor pacis, amator scripturarum, speculator veritatis, gustator puritatis, continuator orationis. . . Custos cellæ est custos linguæ, non audit detractiones, non percipit rumores, non videt vanitates, non trahitur ad levitates.

IV. Quod si præstiteris & in cubiculo tuo velut virtutum ac meritorum officinâ, multa pro gloria Dei elucubraveris, & velut bombyx inclusus, nobile sericum confeceris, aut velut Apelles quidam intra cortinas, opera (ut prædictis paragraphis descripsimus) accurata, fervida, præstantia, atque æternitati commendanda, elaboraveris: in illo die, quidquid egeris in cubiculis, prædicabitur in tectis: in illo, inquam

quam, die magno, quando Deus innumera mundi lumina, quæ sub medio abscondita latuere, producet, ut toti mundo pateant. Quando extrahet tot millenos è cryptis Martyres; quando educet tot millenos ex eremis Anachoretas: quando producet è deserto Baptistam, è carcere Petrum, ex ergastulo Paulum, ex Pathmi exilio Joannem, è specu Manresano Ignatium, è tugurio Sanciano Xaverium, Lainium & Salmeronem è secessu Vicetano, eosque in publicum gloriæ cœlestis theatrum adducet. Tunc & te simili honore beabit: tunc è serico, quod clam parasti vestem immortalitatis tibi contexit: pro picturis eleganter elaboratis, gloriæ suæ similitudinem concedet: vocemque illam, unâ cum aliis, audire mereberis: *Mortui estis (mundo) & vita vestra abscondita est cum Christo in Deo: sed cum Christus apparuerit vita vestra, tunc & vos apparebitis cum ipso in gloria.* Ad Coloss. 3. vers. 4.



# HOROLOGII SCHOLASTICORUM.

## HORA IV.

### Matutina.

**A**udito campanæ signo alacriter surge: hoc enim signum magni Regis est, signum obedientiæ & vox dilecti est: ac proinde ne tergiverferis, aliàs diem ab imperfectione & inobedientia auspicas, gratiaq; divinæ obicem nonnullū ponis. Surge igitur velociter, more R. P. Stredonii, qui audito manè regulari ad surgendum signo, exiliebat sine mora. cap. 5. vitæ. Vince te, diem perfectè inchoa, & hanc tui victoriam, velut dici primitias Deo immola: quò multum conferet temperans & modica dici præcedentis cena.

### PRAXIS I.

#### Religiosè surgendi.

**I.** Expergefactus, statim exclusis omnibus aliis cogitationibus, animum applica ad id, quod paulò post meditaturus es. Ita præscribit S. Pater noster in Lib. Exercit. addit. 2. jam te velut reum, jam tanquam

quam vincum Judici sistendum cogita. Et his vel aliis pro meditandarum rerum genere cogitationibus imbutus, vestes indue. Vel, si placet;

II. His rite peractis, sacra nomina in-clama: Jesus Maria, Joseph, Ignatius, Xaverius, adeste! Deinde in sequentes affectus ferventer erumpe: Deus Deus meus ad te de luce vigilo: Cor meum & caro mea exultaverunt in Deum vivum: sitivit in te anima mea, quàm multipliciter tibi caro mea. Psal. 62.

III. In nomine Domini nostri Jesu Christi crucifixi surgo; qui me pretioso suo sanguine redemit; ille me benedicat, regat, custodiat & ad vitam perducatur æternam. Gloria Patri, qui creavit nos, gloria Filio, qui redemit nos; gloria Spiritui sancto, qui sanctificavit nos. Benedicita sit sancta & individua Trinitas nunc & semper, & per infinita sæcula sæculorum. Amen.

IV. Dum vestes induis, nisi materiã meditationis ruminandã occuperis. A Deo Patre, pete, ut induas novum hominem, quod S. P. N. requirit in Constit.

Fac me, Pater æternæ, exuere veterem



hominem cum actibus suis, & induere novum, qui secundum Deum creatus est in justitia & sanctitate veritatis. Ad Ephes. 4.

*A FILIO DEI.*

Pete indui ejus insignibus, ut optat S.P.N. c. 4. Exam.

**I**nduc me Jesu Christe, Rex gloriae, virtutum tuarum insignibus, ut impleam illud Apostoli tui: Induimini Dominum nostrum Jesum Christum. Rom 1.

*A SPIRITU SANCTO.*

Pete tibi imprimi legem charitatis, ut cupit S.P.N. reg. 1. summar.

**O** Divine Spiritus! obsecro te, internam amoris tui legem cordi meo inscribe, ut regulas exacte servem, & cum propheta dicam: *Viam mandatorum tuorum cucurri cum dilatasti cor meum. Ps. 118.*

*A B. VIRGINE.*

Pete reliquas virtutes, à S. P. N. in Constit. desideratas.

**C**ontege me, ô mater misericor-

cor-

cordiae fragrantibus Filii tui vestimentis, ut tanquam electus Dei, ac dilectus induam viscera misericordiae, benignitatem, modestiam, pauperatatem, castitatem & obedientiam; ut patris caelestis benedictionem obtineam.

*A S. ANGELO CUSTODE*

Pete arma militis Christiani, à S. P. N. in form. Instituti praescripta.

**M**uni me sancte mi Angele Tutelaris armaturam Dei, loricae justitiae, galeae salutis, scuto fidei & gladio spiritus, ut possim stare adversus insidias Diaboli, & omnia tela nequissimi ignea extinguere. Ephes. 6.

V. Dum sotanam induis, exemplo Joannis Bergmanni & aliorum, eam osculare, indignum te eam judicans. Et mote S. Francisci Borgie, ter osculare terram, Deo te penitus subjiciens, & mortalitatis tuae memoriam refricans. L. 4. vite, c. 4.

VI. Dum caput pectus: Repelle à me

Do.

Domine spiritum superbię & immundi-  
tię, & orna capu meum corona cœlestis  
glorię.

VII. Dum cubiculo exis : cum Alexan-  
dro Lufugio, Fronti, ori, & cordi signum  
crucis imprimens, dic : JESUS crucifixus  
fit in omnibus meis cogitationibus, verbis,  
& operibus. Amen. Adde, quod docet S.  
Chrysostomus Hom. 8. ad pop. Ant. ut  
quoties junę limen sumus transgressuri,  
crucem fronti imprimamus, & hoc prius  
verbum loquamur : Abrenuntio tibi, Sa-  
thana, & adhæreo tibi Christe, qui es via,  
veritas & vita.

VIII. Dum faciem & manus lavas. ora :  
Pie pelicane, Jesu Domine, me immun-  
dum munda tuo sanguine ! Amplius lava  
me, & ab iniquitate mea munda me. Plal.  
50.

*PRAXIS II.*

*Persolvendi preces matutinas.*

**C**irca primum quadrantem, visita Ve-  
nerabile Sacramentum, si opportu-  
nitas sit ; aliàs, vultum & cor illuc dirige, &  
ante arulam tuam in sequentes affectus  
ferventer erumpe.

ORA-

ORATIO I. ad Sss. Trinitatem.  
*Sis Gratus, & cum S. Xaverio ores.*

L. 2. ep. no. 2.

**O**mnipotens sempiterne Deus,  
tu creasti me, & dedisti mihi  
corpus & animam, & quidquid ha-  
beo : tu solus & non alius plasmasti  
me ad imaginem & similitudinem  
tuam, aliisque beneficiis innumeris  
me cumulasti: Reddo tibi, mi Deus,  
gratias, & laudes infinitas, præser-  
tim quod tribueris notitiam fidei,  
& legis veræ JESU Christi ; in ejus  
Societatem me adlegeris, & hac  
nocte tam paternè custodieris. *Be-  
nedictio & claritas & sapientia &  
gratiarum actio honor & virtus &  
fortitudo Deo nostro in secula saculo-  
rum. Amen.* Apoc. 7.

ORATIO II. ad Deum Patrem.

*Cor offer, cum S. Ignatio in Lib. Exercit.*

Hebd. 4.

**S**uscipe Domine universam meâ  
liber-

libertatem. Accipe memoriam, intellectu atq; voluntatem omnem. Quidquid habeo, vel possideo, mihi largitus es: id tibi totum restituo, ac tuæ prorsus voluntati trado gubernandum. Amorem tui solum cum grata tua mihi dones, & dives satisfatis, nec aliud quidquam ultra posco. Ad omnem nutum & beneplacitum tuum. *Paratum cor meum Deus, paratum cor meum.* Pl. 56. Domine quid me vis facere? Act. 9.

## ORATIO III. ad Dei Filium.

*Opus dispone futurum*, cum S. F. Borgia. Tract. 2. de Christ. oper.

**O**JESU amantissime! firmiter statuo, hodiernâ die, te aspirante regulas meas exactè servare, meditationem & examina accuratè instituire, perfectè officium divinû persolvere, & sanctissimum missæ sacrificium sanctè offerre. Omnia denique opera mea, cum Deo & in Deo

Deo peragere, & ad solam Dei gloriam referre: atq; ut gratiora evadant, cum tuis operibus conjuncta Patri cœlesti offerre, ut quæ per se, nullius ad beatitudinem momenti sunt, tuis meritis & gratiâ in DEI conspectum admittantur. *Vias tuas, Domine, demonstra mihi, & semitas tuas edoce me.* Psal. 24.

## ORATIO IV. ad Spiritum S.

*Vita peccatum*, & cum P. de Ponte propone L. 6. med. 6.

**O** Divine Spiritus! ad eone cæcus & religiosæ perfectionis & obligationis oblitus, in pristinas hodie imperfectiones & negligentias, sensualitates & vanitates relabar? præsertim has (NN. Exam. part.) tantopere tibi discipulentes? Absit hoc à me, Domine: magnum concipio propositum, discendendi ab omni genere culpæ gravioris, imò & levioris, & cujuscunq; defectûs

Univ<sup>ers</sup>it<sup>as</sup> de Deo  
140

Orationes.

& imperfectionis, quin etiam omnis odoris ejus, quantum mihi possibile erit cum gratia tua. Tu precor titubantem corrobora, qui spondesti: *Super aspidem & basiliscum ambulabis, & conculcabis leonem, & draconem.* Psal. 90.

ORATIO V. ad SS. Patronos.

*Subsidiumq; pete,* cum P. Petro Fabro, Lib. 2. vitæ c. 5. & 6.

**S**uccurrite mihi, Clienti vestro, Hodie fideliter, ô SS. Patroni mei N. N. N. cum omnibus sanctis, ac præsertim hodierna die celebribus; & me contra omnes hostes, visibiles & invisibiles, strenuè defendite: *non enim solum mihi est colluctatio adversus carnem & sanguinem, sed & adversus principes & potestates, adversus mundi Rectores tenebrarum harum.* Ephes. 6.

Deinde commenda te B. Virgini cum P. Canisio: O Domina mea, sancta Maria,

ria,

Oratio Rhythmica.

ria, me in tuam benedictam fidem & c. Et cum B. Aloysio L. 2. vitæ c. 3. Commendate S. Angelo custos, dicendo: Angele Dei qui custos es mei. Vel cum P. de Ponte Lib. 6. med. 3 4. Salve Angele Dei, Princeps nobilissime. Commenda quoque te Sanctis ac Beatis Societatis nostræ.

1. **A**Ve, Ignati, pervium Vitæ meæ refugium: Tua præstet oratio, Ne perdat me damnatio.
2. In Dei sim servitio, Tuo fervens auxilio: Nec animum vis impia Depellat à constantia.
3. Vivat in corde puritas; Regnet in ore veritas: Tuâque præstet bonitas; Ne factis insit vanitas!
4. Leges sanctè custodiam; Promissis satisfaciam; Ut mundo & mihi mortuus Sim Christo servus strenuus!
5. Et tu XAVERI Gentium, Ave Doctor errantium,

C

Per

Per te nancilcar cœlitus;  
Fervorem tui Spiritûs!

5. Humilitatis Speculum,  
Ornans BORGIA sæculum,  
Mundum doce me spernere,  
Deûmq; solum quærere!
7. O castitatis liliium  
ALOYSI, similibum  
Amator, castos pectoris,  
Da motus, atque corporis!
8. Tu STANISLAE nobilis,  
Constantiâ immobilis;  
Nos veros JESU Socios,  
Fac & MARIÆ filios!
8. Confessores sanctissimi,  
Et Martyres fortissimi,  
Rogate nobis auream,  
Vestra coronæ lauream.
9. Sit TRINITATI gloria,  
Quæ me suâ clementiâ,  
Ereptum mundi scopulis,  
Suis adjunxit famulis!

ORATIO ad DEUM.

**D**EUS qui me à sæculi vanita-  
te conversum ad bravium su-  
per-

pernæ vocationis accendis, pectori  
meo purificando illabere; & gratiâ  
quâ in te perseverem infunde; ut  
protectionis tuæ munitus præsidiiis,  
& mei propositi executor effectus,  
ad ea, quæ tibi servientibus, & in te  
perseverantibus, promittere digna-  
tus es, pertingere valeam: Per Chri-  
stum Dominum nostrum. Amen.

ORATIO R. P. Caroli Spinolæ Jap.  
Martyris, c. 3. vitæ.

**D**ignare, benignissime JESU,  
per hoc tuum sanctû nomen  
tuum, esse mihi JESUS, & dare mi-  
hi spiritum Societatis JESU. Inscere,  
quæso, cordi meo hoc amabile no-  
men tuum, ut ejus dulcedine pascar,  
ejûsq; amore ita ardeam, ut moriar  
in te, JESU mi dulcissime, JESU mi  
suavissime, JESU mi dilectissime, in-  
vocato semper hoc jucundissimo,  
hoc mellifluo, hoc salutifero nomi-  
ne tuo, JESU, JESU, Amen.

ORATIO similis ad B. M. V.  
**O** Clémens! ô pia! ô dulcis Virgo **MARIA**! Esto mihi quæso **MARIA** & mater misericordiæ: impetra mihi spiritum Societatis Filii tui; infere, quæso, cordi meo, tui amorem, & hoc amabile nomen tuum **MARIA**, ut ejus dulcedine pascar; ejus quoq; amore ita ardeâ, ut moriar in te **MARIA**, matre mea dulcissima, Matre mea suavissima, Matre mea jucundissima, repetito hoc amabili nomine tuo, **MARIA**, **MARIA**, Amen.

*PRAXIS III.*

**Intentionum particularium**

pro singulis hebdomadæ diebus.

**INTENTIO DIE DOMINICA.**

**I.** **O** Mnia mea verba, cogitationes & opera offero SS. Trinitati, ad majorem ejusdem gloriam, gustum ac beneplacitum: Item Christi Domini gloriosè resurgentis & omnium Sanctorum. 2. In gratiarum actionem pro omnibus beneficiis

ciis, ac præcipuè, prædestinationis, creationis & conservationis. 3. In satisfactionem pro omnibus peccatis, præsertim adolescentiæ meæ. 4. Pro extirpatione vitiorum, præcipuè, proprii judicii. 5. Ad obtinendum ardens & insatiabile perfectionis desiderium. 6. Pro exaltatione S. Matris Ecclesiæ, & Indorum, Chinesium, Japonum, Brasilorum, Turcarum & Tartarorum aliorumq; populorum infidelium conversione. Patroni hodie erunt, actionesque nostras SS. Trinitati offerent omnes sancti, in cælo triumphantes.

*FERIA II.*

**I.** **O** Mnia offero DEO Patri, ad majorem ejus gloriam, gustum ac beneplacitum: & Christi Domini pro nobis incarnati & nati: nec non S. Ignatii, S. Xaverii, S. Borgiæ, B. Aloysii, B. Stanislai, omniumque è Societate in cælo regnantium. 2. In gratiarum actionem pro omnibus beneficiis, ac præcipuè vocationis ad Societatem. 3. In satisfactionem pro omnibus peccatis, præsertim in Societate admissis. 4. Ad extirpandum perfectè respectum humanum. 5. Ad impetrandum

verum spiritum Ignarianum, seu Societatis nostræ, & perseverantiam in vocatione. 6. Pro omnibus fidelibus defunctis, præsertim iis, quibus magis obstrictus sum: ut Patre, Matre, Fratibus &c. ut vicissim mihi plenarias in morte indulgentias, & liberationem à purgatorio impetrare dignentur. Patroni hodie erunt SS. Patriarchæ, & Prophetæ Veteris Testamenti, cum S. Ignatio, aliisque Beatis à Societate.

## FERIA III.

I. **O**ffero omnia ad majorem gloriam Filii Dei, Redemptoris nostri Jesu Christi, triginta annis vitam occultam agentis, & S. Angeli Tutelariorum mei, omniumque SS. Angelorum. 2. In gratiarum actionem pro omnibus beneficiis, ac præcipue veræ fidei, & custodiæ angelicæ. 3. In satisfactionem pro omnibus peccatis, præsertim cogitationis. 4. Ad vincendas strenuè omnes mundi, Carnis & Dæmonis tentationes. 5. Ad obtinendū duplicem spiritū, orationis & mortificationis. 6. Pro toto Imperio Romano, & in primis pro hac civitate & patria. Patroni erunt S. Angelus Custos, cum S. Michaële, Gabriele, Raphaële, cæterisque Angelis. FE-

## FERIA IV.

I. **O**ffero omnia ad honorem Spiritūs sancti, & Christi Domini triennio Evangelizantis regnum Dei: Nec non SS. Patronorū, S. Joannis Baptistæ, S. Josephi, S. Petri, S. Pauli, S. Joannis Evangelistæ, Patroni Patriæ, Ecclesiæ, nominis &c. S. Joachim, S. Annæ, aliorumque de cognatione Christi, & B. V. 2. In gratiarum actionem pro omnibus beneficiis, præsertim corporalis & spiritualis sustentationis, aliisque beneficiis privatis. 3. In satisfactionem pro omnibus peccatis præsertim loquæ. 4. Ad extirpandam omnino sensualitatem. 5. Ad impetrandum ardentem amorem Dei & proximi. 6. Pro parentibus, Cognatis, Amicis, Benefactoribus, Superioribus, subditis. Patroni erunt prædicti sancti cum reliquis Apostolis & discipulis Domini.

## FERIA V.

I. **O**ffero omnia ad majorem Dei gloriam, sanctissimi Sacramenti; uti & Sanctorum Pontificum, Episcoporum, Sacerdotum, & Confessorum. 2. In gratiarum actionem pro omnibus beneficiis, præsertim institutionis hujus Venerabilis

Sacramenti, & sanctificationis. 3. In satisfactionem pro omnibus peccatis, præsertim operis, & circa hoc Sacramentum commissis. 4. Ad vincendam perfectæ curiositatem. 5. Ad impetrandam singularem fidem, spem, charitatem & reverentiam hujus admirabilis Sacramenti. 6. Pro Pontifice, Episcopis & Prælati Ecclesiæ, uti & pro Imperatore, Regibus & Principibus. Patroni erunt antedicti Pontifices, Episcopi, Sacerdotes & Confessores, præsertim huic amabili Sacramento specialiter addicti.

## FERIA VI.

I. **O**ffero omnia ad majorem gloriam Christi crucifixi, SS. ejus quinque Vulnerum, & S. Stephani, S. Laurentii aliorumque Martyrum. 2. In gratiarum actionem pro omnibus beneficiis, præsertim Redemptionis. 3. In satisfactionem pro omnibus peccatis, præsertim occultis, alienis & oblivioni datis. 4. Ad perfectè eradicandam superbiam & vanam gloriam. 5. Ad impetrandum ardentem amorem Christi crucifixi, & desiderium fervens imitandi ejus paupertatem, castitatem, obe-

obedientiam, humilitatem, patientiam, charitatem & zelum animarum. 6. Pro conversione Peccatorum obstinatorum, hæreticorum, Ethnicorum, Judæorum & Atheorum, ac pro meis quoque & Societatis inimicis. Patroni erunt supradicti SS. Martyres.

## SABBATO.

I. **O**ffero omnia ad majorem gloriam Christi Domini pro nobis sepulti, uti & Beatissimæ Virginis Mariæ sine macula conceptæ, aliarumque sanctarum Virginum & Viduarum. 2. In gratiarum actionem pro omnibus beneficiis, præcipuè per B. M. V. nobis collatis. 3. In satisfactionem pro omnibus peccatis, præcipuè ingratitude, negligentie & omissionis. 4. Ad eliminandam omnem inconstantiam & tepiditatem. 5. Ad impetrandū amorem tenerum & devotionem singularem erga B. V. Donum castitatis angelicæ, & sanctam mortem. 6. Pro singularibus Deiparæ Cultoribus, item toto orbe, tentatis, afflictis, periclitantibus, nascentibus & agonizantibus. Patronæ erunt B. V. & reliquæ SS. Virgines & Viduæ.

Universidad de Deu

❁ (50) ❁

PETITIO BENEDICTIONIS.

**D**ignare Domine JESU, cum Patre & Spiritu Sancto mihi dare tuam sanctam benedictionem, uberemque gratiam te semper amandi, voluntatem tuam exequendi, in sancta vocatione perseverandi, & juxta ejus institutum perfectè vivendi, ut te pane Angelorum dignè fruam in vita, meta, & patria.

Dilecta Mater, quæso te, mihi bene precare: optòque ut hac die Deo fideliter serviatur ab omnibus, nullusque sit ita infelix, ut tuam & filii tui offensam incurrat, Amen.

Nos cum prole pia, benedicat Virgo Maria.



ME.



*In meditatione mea exardescet ignis.*



♣ (52) ♣

## MEDIO V.

### MEDITATIO.

**C**um meditatio vel maximè Religiosæ Societatis necessaria sit, tanquam panis quotidianus cor hominis confirmans; & ne Spiritus, studiis, aliisque negotiis in tepefcat: diligentissimè temper te ad eam præpara, eamq; exactissimè institue; ut cum Propheta dicere valeas: *Concaluit cor meum intra me, & in meditatione mea exardescet ignis.* Psal. 38. Ignis, inquam, veræ pietatis, devotionis, fervoris, zeli & charitatis.

#### §. I.

Ante meditationem observanda.

I. **V**esperis, sub quadrante, ut vocamus, canonico, prælege diligentè meditationis puncta, ex aliquo meditationum Libro: excellunt meditationes Patris de Ponte; quas inter summas Imperii curas ita triverat Ferdinandus II. Imperator; ut auditus sit dicere, se illas memoriâ tenere. Et Lugduno ex Gallia Provincialis Franciscanorum, Ludovici visendi causâ Vallisoletum venit, narrans miracula mutationum in hominibus factarum, per me.

Praxû meditandi.

53

meditationes, aliosq; Libros illius. In vita, L. I. c. 9. Si verò hæ meditationes prolixiores videantur, punctum unum, aut puncti partem accipe. Compendium ejus partem siccum non habet.

II. Ante sonnum, modico temporis spatio, quo recitaretur semel angelica saluatio, cogita de hora quâ surgendum, & exercitio faciendo. S. P. N. in Lib. Exercit. Addit. 1.

III. Expergefactus statim exclusis omnibus aliis cogitationibus, animum ad illud applica, de quo paulò pôst meditandum. Addit. 2.

IV. Medio circiter quadrante, ante meditationem, eadem puncta, ut vivaciùs occurrant, relege.

V. A loco meditationis uno vel gemino passu distans, per tantillum tempus, quo percurri oratio Dominica posset, animo sursum elevato considera, Dominum Jesum, præsentem & spectantem quid agas, eiq; cum humili gestu reverentiam exhibe. Ibid. Addit. 3. Elevandi igitur mentis oculi ad Divinam Majestatem, eliciendo actum fidei, v. g. cum Elisæo 4. Reg. 3.

Vi-

*Vivit Dominus exercituum, in cuius conspectu sto.* Vel cum Abraham Gen. 18. *Loquar ad Dominum meum, cum sim pulvis & cinis.* Vel ad SS. Trinitatem. Ad Patrem, qui fons est bonarum cogitationum memoriam replentium. Ad filium, qui est primum principium veritatum, intellectum illustrantium. Ad Spiritum S. qui est prima origo affectuum, voluntatem accendentium. Atque hoc actu fidei elicitu (ut suadet P. de Ponte in Duce Spir. Tr. 1. c. 1.) breves affectus ad SS. Trinitatem adungi queunt.

**O** Pater sancte reple memoriam meam sanctis cogitationibus, roburque & constantiam in iis præbe!  
**O** Fili Dei Unigenite, illustra intellectum meum lumine tuarum celestium veritatum, & altissimum mihi earum sensum tribue! **O** Spiritus Sanctissime, accende cor meum ferventibus tuis affectibus, eosque semper ita fove, ut nunquam in iis tepescam.

§. II.

In ipsa meditatione præstanda.

**I.** **D**ato campanæ signo, juxta regulam, in puncto incipe; ne ab imperfectione meditationem malè auspiceris; atque ita alicui illustrationi, aut gratiæ obstaculum ponas. Imitare B. Aloysium, & P. Stredonium, qui audito signo, rapti ad orationem non ferri videbatur. c. 5. vitæ.

**II.** Situm corporis S. P. N. liberum quidem reliquit. Addit. 4. Ut nunc prostratus humi, nunc flexis genibus, aut stans, aut eo modo, quo speras te facilius consecuturum, quod optas, meditationem instituas; annotatione tamen 3. monet in affectibus voluntatis, cum voce aut mente cum Deo vel sanctis colloquimur; majorem à nobis exigi reverentiam; quam dum per usum intellectus circa intelligentiam moramur: Tu itaque eligere poteris situm ad pietatem & humilitatem aptiorem. P. Ludovicus de Ponte, P. Bernardinus Realinus, P. Mauritius de Büren, aliique ferventiores, quam plurimi, flectebant in medio cubiculi, absque scabello aut fulcro.

Ali-

Aliquid enim mortificationis myrrhæ, thuri orationis semper addendum, ut hæc sit Deo gratior & efficacior. Deambulatio ordinariè minus convenit; quia mentem defigere vix finit, ac faciliè animum distrahit.

III. Præmittitur oratio præparatoria, quâ (ut ait S.P.N. I. Hebd. Exercit. I.) petimus à Domino gratiam, ut vires atque operationes nostræ omnes sincerè ad ejus gloriam & cultum tendant. Servire poterit oratio: Actiones nostras, quæsumus Domine, aspirando præveni. Vel cum S. Xaverio recitari ferventer, Hymnus: Veni Creator Spiritus.

IV. Præludium primum est ratio quædam componendi loci, per visionem quandam imaginariam, quâ v.g. phantasia sibi repræsentat templum, aut montem. Lib. Exercit. I. c.

V. Præludium secundum erit, ut à Domino postulem id, quod exopto, juxta propositæ meditationis argumentum. Nimirum si de Christi resurrectione fuerit meditandum, petenda erit lætitia, quâ gaudenti Christo congaudeam. Si de passionem

sione; lacrymas, poenas, angores petam ad compatiendum Christo patienti. L. c.

VI. Quando autem de historia aliqua, v.g. vitæ Christi meditatio instituitur, præludium tertium addendum est, & duobus antedictis præmittendum; quo puncta præcipua historię considerandæ, breviter recensentur. L. c.

Omnia hæc, licet cuipiam fortasse minuta videantur, studiosè tamen exactèque, observanda sunt: cum enim S.P. Ignatius, Deo ipso revelante, ac B.V. Maria docente, Libellum Exercitiorum scripserit, ut refert P. Lancicius opusc. 18. c. 5. & ab iis modum meditandi hauserit, quem nobis Filiis suis tradidit; non est nobis ab ejus præscripto, vel in minimo deslectendum.

VIII. Memoria, post hæc operari incipit; cujus operatio non est solum simplex quædam reminiscentia, aut intuitus veritatis ad meditandum propositæ, seu sola prima mentis apprehensio; verum etiam est judicium, imò & fidei supernaturalis assensus. Ac proinde ad completum hujus potentię, in hac meditandi methodo, exerci-

ercitium, requiritur. 1. ut res meditanda attentè & vivacissimè oculis mentis per quandam simplicem reminiscenciam proponatur; ita ut nihil lateat eorum, quæ ad rei propositæ veritatem percipiendam requiruntur. 2. Accedit deinde actus fidei, seu iudicium fidei divi; quo rem memoriæ propositam, firmissimo assensu credimus, propter infallibilem Dei revelantis auctoritatem. 3. Requiritur (ut docet P. Gaudier.) lumen practicum; quia hoc iudicium fidei, non tam debet mentem illustrare ad sterilem cognitionem speculativam; quàm voluntatem fecundo quodam calore, quem virtute in se continet, ad omne opus virtutis inflammare; ad quod lumen practicum deservit. Hoc autem memoriæ exercitium est veluti basis & fundamentum totius meditationis, ex quo conclusiones practicæ eruendæ. Conandum proinde, ut hic actus firmus & intensus sit.

VIII. Intellectus deinde operari pergit, cujus officium in eo consistit, ut per ratiocinationem, & discursum deducat ex præcedenti fidei actu & lumine practico, tanquam

quam ex principio, conclusiones practicas, ad morum & virtutum perfectionem accommodatas; quæ in priori actu, tanquam in semine fructus, includuntur. Hunc discursum juvat quidem sapientia, intellectus, & alia dona naturalia, quibus motiva varia, causæ, effectus, aliæq; circumstantiæ: Quis, quid, ubi &c. expenduntur. Præcipuè tamen juvat sapientia & prudentia supernaturalis; cujus munus est, ex fidei principiis conclusiones practicas elicere, & quotidianis vitæ actionibus, materiam, finem, modum, & absolutam rectitudinem præscribere: & quæ verè bona, quæ mala; quæ optanda, quæ timenda; quæ amanda, quæ fugienda sunt, ostendere. Idem docere & illustrare; quæ sui sint partes officii, quomodo se erga Deum, erga se, erga proximum gerere debeat. Unde nihil facilius est intellectui, hac sapientiæ luce perfuso, & lumine practico præsentè; quàm practicas per discursum conclusiones elicere, elicitaq; voluntati proponere; præsertim si accedat pius aliquis voluntatis affectus erga Deum, ejusq; cultum.

IX. Voluntas tandem ex fidei principiis,

piis, per evidentissimum discursum, & certissimam conclusionem, excitata; prorumpit, pro naturali, quam habet, cum intellectu, connexionem, in varios affectus profecutionis, vel fugæ; amoris vel odii, laudis vel execrationis, alióve similes, ac proposita format in posterum servanda. Denique adjungit varia colloquia oræ vel mente solùm, ad Deum, ad coelites, ad se, vel ad alias Creaturas, orando, deprecando, postulando, increpando, adhortando &c.

## §. III.

Alia quædam pro ipsa meditatione notanda.

**I.** Nota non sufficere per discursum, voluntatis affectum inclinare ad virtutem aliquam in communi, v. g. patientiam, humilitatem, charitatem; sed ad particulares, & illius potissimùm dici actiones descendendum esse; quomodo in hac vel illa occasione, cum hoc vel illud ages, te gerere, aut superare debeas; quam in eo negotio humilitatem, patientiam, charitatem exercere oporteat.

Nota II. Religioso Societatis Jesu, pro  
fine

sine vocationis lux, etiam proximi salutem habente, non esse sistendum in sola Dei contemplationis abundantiam in actiones proximo utiles emanare oportere.

Nota III. Cùm gratia orationis & meditationis singulare Dei donum sit; illud crebrò ferventèq; à Deo petendum esse: ut scilicet spiritum gratiæ & precum, donum intellectûs & sapientiæ, in excellentiore gradu à Spiritu S. obtineas.

Nota IV. Memoriam divinæ præsentię plurimùm conferre ad bonam meditationem: si nimirum, fide vivâ credas; Deum, qui ubique præsens est, in te quoq;, & in anima tua intimè præsentem esse, eamque sicut aqua spongiam, & sicut anima corpus, penetrare. Præsertim si hæc Dei præsentia, orationis tempore suaviter continuetur.

Nota V. Nonnulla proposita; quæ in meditatione concipienda, in examine discutienda, num executioni mandata sint. Talia esse possunt hæc: 1. Nunquam deinceps deliberatè peccare. 2. Rarò etiam peccare indeliberatè. 3. Nunquam voluntariè peccare in cultu divino. 4. Nunquam  
inci-

incidere in peccata periculosa. 5. Nullam regulam transgredi advertenter. 6. Semper loqui de spiritualibus, aut saltem ore religioso dignis. 7. Fugere conversationem cum laxioribus. 8. Opera quotidiana facere diligenter. 9. Abstinere à jocis, clamoribus, cachinnis. 10. Conversari cum magis spiritualibus. 11. De nulla re conqueri. 12. Nullius mores censurare, sed omnia bene interpretari. 13. Omnia injuncta sine excusatione exequi. 14. Nullum officium, vel gradū eligere, aut optare; sed prout s. obedientia disponet, acceptare. 15. Non querere speciosa & altiora. 16. Post communionem saltem mediam horam impendere. 17. Intervalsa temporum in piis affectibus impendere. 18. Opera singula Deo offerre. 19. Amare, optare, & pati omnes, quæ eveniunt, advertitates, patienter, libenter, hilariter. 20. Sæpe renovare memoriam rerū æternarum, ut ad illas omnia dirigas, non ad applausus humanos. 21. Ob humanos respectus nihil agere mali, nihil boni omittere. 22. Semper niti ad perfectiōra, & Deo gratiora, amorique proprio insipida.

23. Ita saltem procurare profectum in virtutibus; sicut alia corpori necessaria. 24. Sæpe reflectere, ut opere facias, sicut Sanctus aliquis ea faceret.

Nota VI. Summa comitum orationis mentalis hæc est; ex quorum defectu ordinariè malum succesum orationis ortum esse deprehendes. 1. Locus aptus absque strepitu, in quo sine teste vel interpellatore cum Deo loquaris. 2. Tempus aptum matutinum vel vespertinum. 3. Situs corporis humilis attentioni & reverentiæ accommodatus. 4. Diffidentia sui ipsius, & in solum Deum fiducia, sine quo intellectus, nec affectus quicquam valet, teste experientiâ. 5. Magna & intima reverentia, ita ut coram Domino pavens ac tremens astes; quam assequeris, infinitam Dei majestatem, & tuam vilitatem perpendendo. Diligentissima attentio ad ea, quæ meditaris, causarumque distractionis amotio, in præsentia Dei. 7. Strenuitas & sollicitudo adhibenda toto tempore meditationis, tanquam in negotio maximi momenti. 8. Ordo servandus in meditando; ut apta statui; & profectui tuo in considerationem

nem adducas; lac infantibus, & solidos cibos adultis natura providit: Sic & Lex Spiritus, alias meditationes incipientibus, alias proficientibus & perfectis assignat.

9. Ratio ea meditandi tenenda, quæ tuam magis perfectionem provehit, nunc tecum loquendo, nunc cum Deo aut Sanctis, nunc divinam vocem excipiendo.

10. Intellectus moderatè cohibendus est, & magis movendæ voluntati & affectibus virtutum insistendum; cum consideratio omnis, non sit finis orationis, sed mediū, non rei substantia, sed instrumentum.

11. Meditationibus & affectibus postulationes jungendæ, præsertim cum quis ad postulandum incitari se sentit: inclinant enim illæ misericordiam Dei ad dandum, quod petitur.

12. Tandem spiritum compunctionis & lacrymarum, si Deo placuerit, dignusq; fueris, concupisces, copiosamque effusionem, quam si ex Dei benignitate susceperis; hoc irriguo superiori & inferiori donatus, suavius & efficacius virtutum donis, quæ lacrymæ obtinent, locupletaberis, & per orationis itinera usque ad arcem contemplationis, in qua cum perfectione desponseris ascendes.

## Agenda post meditationem.

I. S. P. N. in libello Exercitiorum addit: S. præscribit, ut per quadrantem horæ dispicias, quæ meditatio successerit: si malè, causas inquire, cum dolore & emendationis proposito: si bene, gratias age & eundem modum postmodum serva. Si verò à meditatione mox ad sacrum pergendum sit, breviter saltem in itu successum examina, vel in examine generali postea, id præsta.

II. P. Gaudier, aliq; Ascetæ suadent, non tantum ariditates, distractiones, aliq; defectus, & eorum causas inspiciendas esse; verum etiam lumina cœlitus immissa, desideria pia, eorumque incitamenta, proposita, affectus. Deinde sollicitè providendum, quomodo & quibus occasionibus, ejusmodi à Deo communicatas illustrationes, & cœlestes impulsus, illo die in opus redigere valeamus. Quem in finem multum conducet, per aspirationes aliquas, interdiu sæpius animum sollicitare, eaque in memoriam revocare: & in utroque

generali examine executionem discutere,  
 III. Suadent quoque Asceseos periri, &  
 Sanctorum exempla; breviter annotanda  
 esse, illustriora lumina, ardentiores affectus,  
 alioq; coelestes favores ac solatia; ut suo  
 tempore relegi queant, & veluti prunæ de-  
 nuo mentem calefiant, ut ajebat P. Bal-  
 thasar Alvarez. Hanc praxin diligenter ser-  
 vavit S.P. Ignatius, P. Petrus Faber ma-  
 gni Spiritus vir, & S. Borgia, qui ut refert  
 Historia Societatis p. 3. L. 8. n. 141. plu-  
 rimos Libellos è charta, ex acceptis episto-  
 lis decerptâ, rudi filo ipse consuit, tanquam  
 vitæ suæ ephemerides, in quibus sensus  
 suos & lumina, totum denique cum Deo  
 negotium annotavit. Hos imitati sunt P.  
 Balthasar Alvarez, P. de Ponte, Joannes  
 Bergmannus, & alii; quorum & tu lege  
 vestigia, & laboris te non pœnitebit.

### MEDIO VI.

*Praxis orandi ad trinum campana pulsam  
 manè, quando Christus resurrexisset  
 creditur.*

I. **R**egina cœli lætare, Alleluja. Ave  
 Maria. II. Quia quem meruisti  
 por-

portare, alleluja. Ave II. resurrexit sicut  
 dixit, alleluja. Ave. Vers. Gaude & lætare  
 Virgo Maria, alleluja. R. Quia surrexit  
 Dominus verè, alleluja. Subjungitur: O-  
 ratio paschalis: Deus qui per resurrectio-  
 nem Filii tui &c. In quadragesima, omit-  
 titur alleluja. Vel servatur praxis, quæ me-  
 ridie, vel vesperi præscribitur.

## INSTRUCTIO

### De auditione Sacri.

#### PRAXIS I.

##### *Audiendi devotè Sacrum.*

I. **P**ræmittenda semper quadruplex in-  
 tentio, sacrûmq; offerendû. 1. Tan-  
 quam sacrificium latreuticum, ad cultum,  
 laudem, & gloriam Dei omnipotentis. 2.  
 Tanquam Eucharisticum, in gratiarum  
 actionem pro beneficiis. 3. Tanquam pro-  
 pitiatatorium pro peccatis. 4. Tanquam im-  
 petratorium, pro obtinendis beneficiis,  
 plurèsq; aliæ primariæ & secundariæ inten-  
 tiones conjungi, præfigiq; sacro possunt,  
 cum sacerdote ante descensum intentio-  
 nem suam formante.

II. Praxis prima, & meo iudicio optima

foret (modo tempus pro officio B.V. vel rosario extra missam recitandi suppeteret, quod Magistros non raro deficit) ut auditor sacri unâ cum Sacerdote, tam ea quæ alta voce legit, quàm quæ submissè, simul recitaret; & affectus in verbis & orationibus missæ latentes corde exprimeret; v.g. cum Sacerdote recitans tacitè *Confiteor*, contritionem eliceret. Ad *Kyrieleyson*, Dei misericordiam imploraret; ad *Gloria*, Deum laudaret, glorificaret, benediceret. Ad *Evangelium*, tanquam Christi verba audiens, sedulò auscultaret, quid loqueretur Dominus. Cum elevante Hostiam, Christum crucifixum patri offerret, cum communicante spiritualiter communicaret, & gratias ageret. Hæc inquam praxis est nobilissima. Cum verò missale semper ad manum habere nequeat, posset missa aliqua, v.g. de SS. Trinitate, vel omnibus Sanctis cum Canone missæ in Libello descripta circumferri. Hæ enim preces missæ ab Ecclesia institutæ, selectissimæ sunt, & sublimes affectus continent: quibus meliores vix invenies.

III. Vel certè, dum Sacerdos submissè  
orat,

orat, posset sacri auditor, pii quidpiam meditari, attendendo ad varia mysteria: Incarnationis, passionis, mortis, resurrectionis in missa representata. Ea verò, quæ altâ voce Sacerdos pronuntiat, cum eodem submissa voce recitaret: hac ratione Libello, aut sacri descriptione haud indigeret.

IV. Hunc verò modum audiendi sacrum expressè commendavit P. Claudius Aquaviva, in binis responsis ad duas Gallie Provincias datis. Et quidem 1. Anno 1588. 15. Nov. P. Provinciali Aquitanix ita scripsit: De rosario missæ tempore recitando, nostrum quidem desiderium & voluntas esset, ut omnes nostri, tempus illud ad eò sanctum meditationi potius tanti mysterii, impenderent, quàm vocali ulli orationi: sed tamen, si cui danda esset licentia, ut aliquid recitet, debet fieri cum delectu, qui significatur 4. p. Constit. ut scilicet pro ingeniorum & temporum ratione, Superiores judicent, quid sit melius. Atque hoc ipsum intelligendum est tantum, dum sacerdos submissâ voce utitur, ut Constitutiones expressè indicant: nam in reliquâ parte missæ non est permit-

## Praxis II.

tendum. Deinde Anno 1609. 16. Martii ad Provinciam Lugdunensem, idem sic scribit: Rosaria quæ nostris injunguntur à catalogo precum, & in suffragiis, non debent tempore sacri recitari, sed alio. Hæc igitur est mens P. Claudii, fundata in Constitutionibus.

## PRAXIS II.

## Audiendi Sacrum.

I. Templum ingressis mox Christum in Venerabili Sacramento absconditum adora; dicens: adoro te devotè latens Deitas. Et intentionem præmitte.

II. Animum reflecte ad præcipua fidei nostræ mysteria in sacrificio missæ adumbrata v. g. Sub *introitu* & *confiteor* cogita peccatum primorum parentum. Sub *Kyrie* Patres in Limbo ad Messæ adventum anhelantes. Sub *Gloria*, Christi nativitatem. Sub *Evangelio* prædicationem, sub *elevatione* crucifixionem. Sub *communionem* sepulturam. Sub *benedictione*, ascensionem in cœlum. Sub *Evangelio S. Joannis*, reditum ad judicium. Simulq; mysteriis hisce convenientes affectus excita.

III. Post *Sanctus*, exemplo S. Francisci Borgiæ, sub memento vivorum, tu quoq; eorundem memento, & in sanctas quinque Christi plagas commenda sequentes. —

1. O amantissime Jesu in vulnus sacratissimum dexteræ manus tuæ, commendo tibi Pontificem, Cardinales, Archiepiscopos, Episcopos, Pastores, Sacerdotes, omnesq; Clericos ac Religiosos, præsertim Societatis nostræ, & hujus Collegii. 2. In vulnus sinistræ manûs tuæ, commendo Tibi Imperatorem nostrum, Reges ac Principes Christianos. 3. In vulnus dexteri pedis tui, commendo Tibi Parentes meos, Fratres, Sorores, Cognatos, Amicos & Benefactores. 4. In vulnus sinistri pedis commendo Tibi omnes infideles, Hæreticos, & Peccatores, præsertim agonizantes. 5. In vulnus sacratissimi lateris tui, commendo tibi, ô Jesu! corpus & animam meam, vivens

& moriens. Ac per sanctissima vulnera tua te rogo atque obtestor, ut mihi, prædictisq; omnibus, gratiam copiosam, charitatem perfectam, de hostibus visibilibus & invisibilibus victoriam, & felicitatem æternam largiri digneris Amen.

IV. Ad sacra hostiæ elevationem, ter pectus tundens, dic: Adoro te Domine mi Jesu Christe, & benedico tibi, quia per sanctam crucem tuam redemisti mundum. Hoc suggerit S. Xaverius L. 2. ep. nov. ep. 2. Deinde subjunge: O Jesu dilectissime! per gloriosum corpus tuum miserere mei & parce me. Per sanctissimam animam tuam, miserere mei & sanctifica me! Per sanctissimam divinitatem tuam miserere mei & salva me.

*Ave verum corpus natum*

*De Maria Virgine,*

*Verè passum, immolatum*

*In cruce pro homine;*

*Cujus latus perforatum.*

*Unda fluxit & sanguine*

*Esto nobis prægustatum.*

*In mortis examine.*

○

O JESU! ò pie Fili Marix, miserere nobis. Quando elevatur sacer calix, ter pectus tundens, dic: Adoro te sanguis sacratissime Domini mei Jesu, qui fuisti effusus in cruce ad salvandos peccatores & me. S. Xaver. l. c.

*Deinde*

O Jesu amantissime! per pretiosissimū sanguinem tuum miserere mei, & lava me. Per sacrosancta vulnera tua, miserere mei, & sana me. Per dolorosissimam mortem tuam, miserere mei & vivifica me.

*Subnecte*

Salve nobilis & pretiose sanguis de vulneribus Domini mei JESU Christi profluens, & peccata totius mundi abluens, abflue, sanctifica & custodi animam meam in vitam æternam. Amen.

V. Ad memento defunctorum, præter animas propinquorum & Benefactorum, in SS. Christi vulnera commenda 1. Animas liberationi proximas. 2. Animas suffragiis maxime destitutas. 3. Jesu & Mariæ amori singulariter addictas. 4. Diutius in purgatorio aliàs detinendas. 5. Animas maxime Deum cælo glorificaturas, ut virtute & meritis hujus sacrificii, ad amabilissimum

DEI conspectum protinus admittantur.

VI. Communio spiritualis, de qua S. Thomas 3. p. q. 73. a. 3. ait: Potest autem aliquis in Christum mutari & etiam incorporari voto mentis, etiam sine hujus Sacramenti participatione. Fit autem hæc communio spiritualis (de qua etiam agit Concil. Trid. Sess. 13.) sive sumptio spiritualis hujus Sacramenti per votum, vel desiderium ex viva fide, quæ per dilectionem operatur, & quod ex amore unionis proficiscitur; sic enim parit fructum spiritua-lem majoris unionis cum Christo.

*Praxis autem hæc esse potest.*

1. *Agnus Dei.* Contritionem & fervens Christum Dominum suscipiendi desiderium elice dicens cum S. Bernardo: Desidero te millies, Mi Jesu quando venies. 2. *Ad Domine non sum dignus.* Agnosce indignitatem tuam, ob infinitam Dei maiestatem, ob tuam vilitatem, ob peccatorum multitudinem, eamque indignitatem percussione profiteri. 3. Sacerdote hostiam sacram sumente, renova desiderium Christum sumendi, eidemque te intimè unien- di, & amando, voluntatèque tuam cum

eo conformando, te eidem Spiritu conjun-ge, & aspira:

*Credo in te, ô suprema Veritas!*

*Spero in te, ô aeterna Felicitas!*

*Amo te, ô infinita Bonitas!*

*Adoro te, ô immensa Majestas!*

*Gratias ago, ô summa Liberalitas!*

Subjunge oratiunculam S. Ignatio familiarem: Anima Christi sanctifica me. Et ex consilio S. Xaverii, orationem pro conversione infidelium: Aeternæ rerum omnium effector Deus. L. 2. ep. nov.

VII. Sub benedictione Sacerdotis, tanquam ab ipso Christo, in cælum conscendente benedictionem accipe. Et sub Evangelio S. Joannis pro incarnationis beneficio gratias age, cor tuum ad Christum recipiendum offer, lumen à Luce Mundi pete, & gloriam ejus, quasi Unigeniti à Patre te aliquando visurum spera.

## HORA VI.

Praxis orandi ad horæ sonum.

I. **R** Ecita salutationem angelicam. 2. More S. Ignatii & S. Caroli Borromei, reflecte ad labeculas horæ illâ elapsa con-

contractas, & breviter dolorem elice, cum Publicano dicens: Deus propitius esto mihi peccatori! 3. Precare horam felicem vivis: Omnipotens *faustam* donet mortu- libus horam! 4. Precare requiem defun- ctis: Et fidelium animæ per misericordiam Dei requiescant in pace! 5. Renova affe- ctum examinis particularis. Si sit de vitio aut defectu, renova propositum emenda- tionis, excita odium vitii, pete gratiam emendandi. Si verò sit de virtute, elice unum vel plures actus. Atque hæc quinque puncta sufficiunt. Nonnulli tamen etiam, cum P. Carraffa & S. Borgia, ex mysteriis passionis Dominicæ in horas diei distribu- tas, unum ordine recolunt: alii cum P. Mauritio de Büren ex SS. Patronis in ho- ras diei ordinatis unum colunt, gratiamque horam illam utiliter transigendi postulant.

Perfectior & recollectior addere poterit sequentia ex P. Lancicio, quæ præcipuos ad Deum & divina affectus comprehendunt.

1. Benedicamus Patrem & Filium cum S. Spiritu, laudemus & superexaltemus eum in sæcula. 2. Expurga nos omnipo- tens & misericors Deus ab omnibus cul-  
pis,

pis, pœnis & peccatorum reliquiis. 3. Con- verte quàm plurimos à vita impia ad piam, & à pia ad apicem perfectionis. 4. Fac nos, mi Deus vivere & mori ad amissim per- fectissimæ sanctitatis. 5. Ad laudem & glo- riam tuam, dirigantur omnia nostra ver- ba, cogitationes & opera in odorem sua- vitatis. 6. Agimus tibi gratias, misericors Deus, pro omnibus beneficiis tuis, manife- stis & occultis. 7. Domine miserere omni- bus preces meas desiderantibus, præsertim amicis. 8. Omnes sancti & sanctæ Dei inter- cedite pro nobis. Adjuva nos, omnipotens Deus, in omnibus necessitatibus animæ & corporis. 10. Et benedictio tua ✠ sit super nos semper, præsertim in hora mortis!

Hæc prima specie videntur multa, sed qui bene tenet memoria, & habitum non- nullum contraxit, celerrime, sine jactura temporis, ea pronuntiat, præsertim si sit solus. Ut constat experientiâ.

Omnibus salutationem angelicam ad ho- ræ sonum recitantibus, Urbanus IV. indul- gentiam 30. dierum concessit, quem Joannes XXII. confirmavit & duplicavit: Leo X. autem, indulgentiam mille dierum tri- buit, & Paulus V. stabilivit. PRA-

*Non clamor sed amor regnat in aere dei*



*Septies in die laudem dixi tibi, psal. 118.*

P R A X I S

Orandi horas vel officium B.M.V.

§. I.

Præstanda ante officium.

**I.** **P**ropheta Regius septies in die laudem Domino dixit, psal. 118. Ecclesia quoque septena orandi tempora instituit & S. Clemens, secundus post S. Petrum Pontifex ordinavit Lib. 8. Const. Apost. c. 34. Preces vestras facite diluculo, tertia hora, sexta, nona, vespere, & in gallicantu; idque ob varia, quæ indicat, beneficia, & passionis Dominicæ mysteria.

II. Modus orandi insinuat ab eodem Propheta regio, psal. 46. ubi quinquies repetit *psallite*, innuens, psallendum distinctè, attentè, intelligenter, ferventer, & reverenter.

III. Non satis est oratiunculam aliquam vocalem præmittere, maximè si fiat cursim, hæc enim non est sat efficax ad mentem colligendam; sed juvat aliquam brevem considerationem præmittere, quæ & mentem recolligat, & devotionem accendat: qualis est, si viva fide Deum te audien-

*Intentio*

dientem & aspicientem, oculis mentis intuearis, simulq; infinitam ejus magnitudinem paulisper expendas. Vel si tuam vilitatem & peccatorum multitudinem consideres; vel S. Angelum Custodem invites, ut te ad devotionem excitet, Dæmones arceat, preces Deo offerat.

IV. Recita ferventer orationem ex Breviario, Aperi Domine os meum. Deinde præfige varias intentiones. P. Petrus Faber unus è decem primis S.P.N. sociis deponens omnino fines horarum recitationi præponebat. Hujus & aliorum exemplo præxin aliquam confice, quâ iconibus vel schedulis inscriptâ, & ante horas singulas in Breviario aut officio B.V. collocata, utare. Si alia non suppetat, utere sequente.

*INTENTIO**Ad matutinum generalis.*

**O**ffero tibi, ô sacrosancta Trinitas! hoc servitutis meæ obsequium ex puro amore amicitix ac benevolentix in te Deum verum & vivum, in unione meritum & intentionis D.N. Jesu Christi, B.V. & omnium Sanctorum i. Ad gustum &

*ad matutinum generalis.*

& gloriam tuæ divinæ majestatis. 2. In gratiarum actionem pro omnibus beneficiis. 3. In satisfactionem pro omnibus peccatis. 4. Ad impletionem perfectissimam Divinæ tuæ voluntatis.

Hæc intentio Generalis ante singulas horas repeti potest, vel tota, vel contracta in unum suspirium, dicendo, ad quatuor fines prædictos.

*Intentio specialis ad matutinum.*

Ad honorem Domini nostri Jesu Christi, in horto sanguinem sudantis, ejusque sanctissimæ Matris, pro exaltatione S. Matris Ecclesiæ, omniumq; membrorum ejus perfectione.

*Ad Laudes.*

Ad honorem Christi Domini, pro nobis ligati & accusati, Sanctorumq; Angelorum. Pro Romano Pontifice & toto ordine Ecclesiastico & religioso, ut dignè suo statu vivendo ac piè orando, assidue Deum laudent, & ego præcipue juxta obligationem statûs mei.

*Ad Primam.*

Ad honorem Christi ad columnam ligati & flagellati, itemq; SS. Patriarcharum &

& Prophetarum, ac Sanctorum veteris Testamenti. Pro conversione peccatorum, ut cessent Jesum peccatis suis flagellare, & in primis ego.

*Ad Tertiam.*

Ad honorem Christi spinis coronati, & SS. Apostolorum: pro Imperatore, Regibus ac Principibus Christianis, ut in iustitia & clementia populum regant, & subditi patienter obediant.

*Ad Sextam.*

Ad honorem Christi crucifixi & SS. Martyrum, pro omnibus mihi singulariter commendatis, ut in latere Christi mecum salutis asylum inveniunt; unâq; pro omnibus graviter tentatis & afflictis, ut patientes sint, & vincant; ii præsertim, qui quoquo modo ad me pertinent.

*Ad Nonam.*

Ad honorem Christi expirantis & SS. Confessorum, pro felici morte mihi & commendatis impetranda; itémque pro omnibus hodie agonizantibus.

*Ad Vesperas.*

Ad honorem Christi lancæa transfixi, & Venerabilis Sacramenti, vespere Instituti,

nec non SS. Virginum & Viduarum, pro augenda fide & cultu hujus Sacramenti & hæreticorum conversione.

*Ad Completorium.*

Ad honorem Sepulture Christi. Itemque S. Angeli Custodis & SS. Patronorum, eorumq; Sanctorum, qui sine speciali cultu in terris occulti manserunt. Pro liberandis animabus è purgatorio; iis præsertim, qui magis pertinuerunt ad me.

## §. II.

## Præstanda sub ipso officio.

I. **P**ietatem & attentionem, reverentiâque valde promovet, memoria seu fides divinæ præsentia, antè elicitâ, & suaviter continuata, vel subinde renovata. **A**ttentio vel actualis vel saltem virtualis conservanda, distractionesque & earum causæ removendæ. S. Ludgerus Proto-Episcopus Monasteriensis, in itinere nocturno non procul à foco cum Clericis matutinum cum decantaret, & prunæ fumum in faciem ejus exhalarent, tanquam nihil sentiens mente & corpore immotus stetit; Clericum verò, focum componere conan-

*Præstanda sub ipso officio.*

tem, ac prono corpore insufflantem, mane acriter reprehendit, & dierum aliquot pœnitentiam injungens, Clericos docuit, in laudibus divinis distractiones cavere & attentamente persistere. Surius in c. 27. Deinde adsit oranti spes & fiducia firma, nixa Christi promissis & meritis. Comitetur quoque singularis reverentia, quâ mirè excelluit P. Ludovicus de Ponte, ut refertur in vita c. 8. Dum horas coram Venerabili Sacramento, flexis genibus pro more recitaret.

II. Pietatem promovet intelligentia psalmodum, ut sensus reconditos intelligamus; quem in finem legendi psalmodum Interpretes, Bellarmius, Le Blanc, & alii. P. Leonardus Lessius singulorum psalmodum sensus literales, anagogicos, tropologicos & allegoricos probe callebat, hinc tanta ejus devotio, facilitas & oblectatio. Mirabaturque divinum officium à nonnullis desultoriè percurri, in vita c. 10.

III. S. Augustinus conc. 3. in psal. 30. pro augenda pietate, suadet, ut Davidem in psalms præeuntem in affectus, sequamur,

*Præstanda post officium.*

mur, ut scilicet cum timente timeamus, cum laudante laudemus, amemus cū amante, cum perente petamus. Præcipuè verò conandū, ut ad voces crebrius recurrentes, v.g. *Deus, Dominus, alleluja*. Convenientes affectus eliciamus, nempe adorationis, gratitudinis, reverentiæ, submissionis, amoris, laudis, ad voces verò, *nos, homines* vel *misérias humanas* indicantes, affectus, humilitatis, contritionis compassionis excitemus.

*§. III.*

*Præstanda post officium.*

I. **C**ommissos defectus breviter examina, contritionem elice, atque eosdem mox expia recitatione psalms, Laudate Dominum omnes Gentes, vel orationis è Breviario: Sacrosanctæ & individua Trinitati. Quam devotè recitanti Leo X. defectus & culpas in officio perolvendo ex humana fragilitate contractas indulsit.

II. Offer SS. Trinitati peractum officium cum meritis Christi, B.V. & Sanctorum; uti quoque licebit precatiuncula, quam

*Præstanda post officium.*

quam, ut refert Blofius in Monili Spir. c. 3:  
Christus S. Gerrudem docuit.

Bone JESU, propitius esto mihi peccatori. Ego tepidum, distractum & imperfectum servitium meum commendo mellifluo cordi tuo, emendandum & perficiendum: tibi que ipsum offero ad salutem omnium, in unione illius attentissimæ orationis, quâ tu Patrem orâsti & laudâsti in terris. Responde quæso, satisfac & supple pro me plenissimè.  
Amen.



DE



INSTRUCTIO  
De confessione Sacramentali.

§. I.

Præstanda ante Confessionem.

I. **C**ùm Sacramentum poenitentiae, sit fons ille, qui à Deo per Zachariam Ecclesiae promissus est c. 13. *Fons patens habitantibus Jerusalem, in ablutionem peccatoris.* Ad hunc fontem crebrius accede, si non indies cum S. Ignatio, aut bis cum S. Borgia, saltem, si sacerdos sis, alternis diebus, aut, ut suadet Regula 3. Sacerdotum sæpius in hebdomade.

II. præmissa petitione luminis, examina conscientiam, percurrendo dies, & horas dici, loca, item, negotia, personas, cum quibus egisti. Nec tantum confitere venialia graviora, sed & labeculas, & imperfectiones voluntarias; tum humilitatis gratiâ, ut confundaris; tum amore munditiei, ut purior ad fontem omnis puritatis accedas. S. P. Ignatius quolibet boni omissiones in confessionem adducebat, & minima quæq; quæ examinata singulis horis conscientia dictaret. Lancic. opusc. 18. c. 8.

Pro

Alphabetum reminiscentiæ peccatorum 89

Pro reminiscentiâ peccatorum, servient hæc Alphabetâ. 1. *Cogitationes*, Acediosæ, ambitiosæ, blasphemæ, curiosæ, dabilosæ, fraudulentæ, gulosæ, invidæ, iracundæ, inhonestæ, murmuratoris, odiosæ, otiosæ, pusillanimes, suspiciosæ, superbæ, temerariæ, vanæ. 2. *Verba*: Adulatoria, affectata, amara, ambigua, contemptiva, contentiosa, detractoria, exaggeratoria, ficta, jactabunda, inconsiderata, inhonestâ, instigatoria, iracunda, irriforia, mendacia, mordacia, otiosa, superba, susurratoria, vana. 3. *Opera*. Acediosa, avara, curiosa, gulosa, hypocritica, indevota, indiscreta, injusta, inobedientia, inordinata, inhonestâ, otiosa, partialia, prodiga, præsumptuosa, quæstiosa, sacrilega, temeraria, vana. His jungendi defectus in rebus spiritualibus & divinis admissi. — Nec, licet leviora videantur peccata, contemne. *Qui spernit modica paulatim, decidet.* Eccli. 19. Peccata enim hæc, quæ videntur modica, sunt velut guttæ exiguæ, quarum copia navem mergit: sunt velut cunei, qui initio rimulam modicam faciunt; sed sæpius adacti, lignum findunt. Sunt velut ca-

E

sus

sus erga præcipitium, quos ob loci periculū  
 tandē præcipitatio sequitur. Sunt  
 velut pulveres in oculos injecti, qui initio  
 obnubilant, deinde excæcant. Sunt eche-  
 neides, tantilli pisciculi, sed naves grandes  
 in cursu defigunt. Sunt *musca morientes*,  
 quæ perdunt suavitatem unguenti. Eccle.  
 10. Sunt velut modicæ pluvie guttæ, quæ  
 charitatis ignem non extinguunt, sed ro-  
 bur ejus & fervorem consopiant. Sunt  
 denique seminatores discordiæ, qui affe-  
 ctuum Rempublicam turbant, animam  
 totam inquietant, & interitum minantur.  
 Cave ergo ab his, & in iis minuendis  
 omnem industriam colloca. *Qui timez  
 Deum (& amat) nihil negligit.* Eccle. 7.

III. Pro contritione terventius excitanda,  
 pro proposito efficacius concipiendo,  
 ex sequentibus motivis, nunc hoc, nunc  
 illud aliquantum rumina; ne ex crebriori  
 confessione, negligentiam obrepat. Expen-  
 de itaque contrarietatem peccati venialis,  
 quam habet, cum Deo, cum proximo,  
 cum teipso 1. Peccatum veniale est offen-  
 sa Creatoris, te ex nihilo creantis; quem  
 tu pro nihilo offendis, membrisque ac sen-  
 sibus

sibus ab eo acceptis, ingratus, abuteris.  
 2. Est offensa Patris amantissimi, te instar  
 Filii tenerrimè diligentis, sustentantis, &  
 innumeris beneficiis afficientis. Tu verò  
 te genuinum non exhibes Filium, obedi-  
 entiam perfectam denegas, consilia & in-  
 spirationes, despicias. 3. Est offensa Redem-  
 ptoris, qui tanta pro te fecit & sustinuit,  
 seipsum & omnia tibi donavit. Tu autem  
 exiguum reddere renuis, in modico te  
 vincere ejus amore recusas. 4. Est offensa  
 Domini tui & Principis legitimi; & tu  
 ad nutum non pares, quisquiliis & reculis  
 eum postponis. 5. Est offensa primi Prin-  
 cipii tui & Finis ultimi; cujus loco tu crea-  
 turam colis, rem nihili eligis, eique, Dei  
 perfecto amore excluso, adhæres. 6. Est  
 læsio tui, dum animam tu tot gratiæ & glo-  
 riæ gradibus (quorum unus toto mundo  
 præstantior est) spoliast & animam tuam,  
 quot peccatis, tot pustulis & maculis de-  
 turpas & dehonestas. 7. Est læsio proxi-  
 mi, dum cum vel injustitiâ afficis, vel ho-  
 norem minuis, vel exemplo noces, vel  
 contristas, & Societatis splendorem ob-  
 fuscas. Quanta tua ingratitude & proter-

via! quanta malitia, cœcitas, & stoliditas!

IV. Aliàs pro varietate, Divina attributa doloris & contritionis venas aperient. Considera igitur, quòd quovis peccato veniali, agas 1. Contra Divinam omnipotentiam, in omnibus te adjuvantem, conservantem, & sustentantem. 2. Contra Sapientiam & Scientiam DEI te aspicientis, in cujus conspectu delinquere non vereris. 3. Contra infinitam ejus Bonitatem tot te bonis, donis & beneficiis cumulantem. 4. Contra charitatem, gratis, ab æterno te diligentem. 5. Contra Misericordiam toties peccata tibi remittentem, & vindicem justitię manum cohibentem. 6. Contra Justitiam, pœnas purgatorii acerbissimas minitantem, quam tamen tu flocci pendis. 7. Contra Sanctitatem, quam imitari te oporteret, sed tu magis magisque ab ea recedis. Ex his & aliis motivis, (quorum plurima in Horologio Sacerdotali adducta sunt) serium dolorem excita, & propositum firmum concipe, ne pœnitentię Sacramentum, absque dolore & proposito aduendo, sacrilegii reus evadas,

ACTUS

ACTUS

Fidei, Spei, Charitatis & Contritionis ante confessionem, tandem & morosè exercendi.

**C**lementissime & benignissime Deus, qui pro infinita bonitate tua, non vis mortem peccatoris; sed ut per fidem, spem, charitatem & pœnitentiam ad Te Deum ac Dominum suum convertatur & vivat: Ego miser & infelix peccator, ante thronum divinæ misericordiæ tuæ humilimè prostratus, credo & profi eor, quidquid Divina tua Majestas nobis revelavit & sancta Mater Ecclesia Catholica credendum proponit: quia tu es prima veritas, & summa veracitas, quæ ob infinitam bonitatem tuam nequit quenquam fallere

Spero in infinita Bonitate & Misericordia sanctissimæ & individuae Trinitatis Dei Patris, & Filii, & Spiritus sancti, in sanctissimis meritis, sacratissimis vulneribus, dolorosissima passione & morte Christi Jesu. In meritis & intercessione Beatissimę Virginis & Matris Christi Jesu Mariæ, & omnium Sanctorum. Propter hæc &

E 3

propter

propter infallibilem promissionem tuam spero; beatitudinem æternam & mediâ te nobis clementer concessâ, uti & remissionem peccatorum meorum; quia tu, mi Deus, qui omnipotens es & summè fidelis es in promissis, & infinitè propensus ad præstandum, quicquid promissisti, disertè pollicitus es per Ezechielem Prophetam c. 18. *Si impius egerit penitentiam ab omnibus peccatis suis, quæ operatus est, & custodierit omnia præcepta mea, & fecerit iudicium, vitâ vivet & non morietur. Omnium iniquitatum ejus, quæ operatus est, non recordabor.*

Ego idem miserabilis peccator, clementissimum Deum qui me creavit, redemit, sanctificavit, qui mihi multoties peccanti, indulgentissimè pepercit, Deum summum Bonum, quia summum Bonum est, ex toto corde, ex tota anima, ex omnibus viribus meis super omnia amo, & hoc amore super omnia detestor universa peccata mea; & super omnia dolenda doleo, quia Deum summum Bonum, peccatis meis summo malo offendi. Eodemque amore propono, firmiter & statuo, vitam meam

curâ

curâ & studio super omnia diligentissimo emendare, ne summum & infinitum Bonum amplius offendam: & quæ contra summam & infinitam DEI Majestatem commisi, in amaritudine animæ meæ confiteri, & corde contrito & humiliato penitentiam facere. O Majestas infinita! ô summa Bonitas! ô Deus, meus & omnia! utinam te nunquam offendissem! Doleo, doleo ex toto cordis mei affectu, quod offenderit Te Deum, summum Bonum; qui me aded dilexisti, ut pro me servo tuo vilissimo, mortem acerbissimam in cruce subire dignatus fueris. Ignosce bone Jesu, misericordiam & veniam humillimè petenti. Miserere mei peccatoris, pro quo apud Patrem tuum, vox sanguinis tui interpellat.

Ignosco & ego miserandus peccator, amore tui omnibus, qui me unquam offenderunt; & ab omnibus, quotquot unquam gravavi, scandalizavi, læsi, contristavi, contempsi, judicavi, veniam humiliter peto; iisque pro viribus satisfacere cupio.

Respice elementissime Deus, in divinis-

nissimam faciem, sanctissima vulnera, acerbis-

E 4

bissi-

Univ. Lib. de Pa.  
 billimam passionem ac mortem Christi  
 Jesu, in merita & intercessionem Beatissi-  
 mæ Virginis Matris Christi Jesu Mariæ, &  
 omnium Sanctorum tuorum. Propter hæc  
 omnia, & propter infinitam misericor-  
 diam tuam, miserere mei. Quidquid un-  
 quam boni feci, confirmo; quidquid un-  
 quam mali passus sum, accipio de paterna  
 manu tua; atque hæc omnia unio passioni  
 & meritis Jesu Christi, B. Mariæ semper  
 Virginis & omnium Sanctorum; ut per  
 hanc conjunctionem tibi placeant. Et sic  
 placatus Deus meus miserere mei secun-  
 dum magnam misericordiam tuam; & se-  
 cundum multitudinem miserationum tua-  
 rum dele iniquitatem meam. Amplius la-  
 va me ab iniquitate mea; & à peccato meo  
 munda me. Quoniam iniquitatem meam  
 ego cognosco, & peccatum meum contra  
 me est semper. Tibi soli peccavi & malum  
 coram te feci &c. Delicta juventutis meæ  
 & ignorantias meas ne memineris Domi-  
 ne. Cor contritum & humiliatum, da mihi  
 Domine, & ne despicias illud.

Omnes Sancti & sanctæ Dei, intercedi-  
 te pro me, & impetrate mihi misericor-  
 diam

diam Dei, contritionem & remissionem  
 peccatorum, emendationem vitæ, bonum  
 usum pœnitentiæ & aliorum Sacramen-  
 torum, judicium Dei particulare mite &  
 clemens, ac beatam æternitatem. Adeste  
 & auxiliamini mihi semper & ubique  
 Amen.

## §. II.

## Præstanda sub confessione.

I. **I**nstar Filii prodigi totus rubore ple-  
 nus, ob tam crebram propositorum  
 violationem, frequentemque ingratitude-  
 nem pro tot beneficiis, atque ob toties  
 repetitam Patris cœlestis offensam, ad Sa-  
 cerdotem Christi Vicarium accede, in ge-  
 nua procide, & benedictionem pete.

II. Subjunge *Confiteor* usque ad verba  
*mea culpa*: si plures adsint, ne detinean-  
 tur, contritiùs ora: *Confiteor* Deo Om-  
 nipotenti B.M. semper Virgini, omnibus  
 Sanctis & tibi Pater, quia peccavi nimis  
 cogitatione verbo & opere. Deinde dic  
 peccata tua. 1. Humiliter ea non excu-  
 sando. 2. Breviter superflua non narran-  
 do. 3. Sincerè peccata non palliando. 4.

98 *Agenda post confessionem.*

Honestè & clarè sufficienter ea explicando. Integre, addendo numerum certum vel verisimilem.

III. Denique conclude. *De his & aliis meis peccatis intimè doleo, quia Dominum Deum, summum Bonum offendi, & firmissimè propono emendationem, petoque salutarem poenitentiam & absolutionem. Sub qua cogita animam tuam mundari pretioso JESU sanguine cujus merita per poenitentiae Sacramentum tibi applicantur. Et breviter contritionis actum renova. O Deus, propitius esto mihi peccatori!*

§. III.

*Agenda post Confessionem.*

I. **P**oenitentiam, tanquam ab ipso Christo injunctam, promptè accepta, levem reputa & mox imple.

II. Subjungi potest hæc oratiuncula. *Sit tibi Domine obsecro meritis, B. M. semper Virginis & omnium SS. grata & accepta ista confessio mea; & quidquid mihi defuit, nunc & alias de sufficientia contritionis & propofiti, deq; integritate*

con-

*Alexipharmaca contra tentationes.* 99  
confessionis, suppleat pietas & misericordia tua: & secundum illam, digneris me habere plenius & perfectius absolutum in cœlo &c.

III. Deniq; tibi jam mundato, à Christo dici cogita: *Vade & jam amplius noli peccare.* Ac deinceps diligentissimam cautelam & tui custodiam adhibe, exemplo S. Ignatii, qui non minùs animum ab omni labe tuebatur, quàm qui pretiosis ornati vestibus, viâ lutulentâ coguntur incedere. *Maffæus L. 3. vitæ c. 1.*

§. IV.

*ALEXIPHARMACA*

*Seu media efficacia contra tentationes, præsertim carnales.*

I. **P**rimus est fuga. *Fugite*, ait Apostolus I. Cor. 6. *Fugienda igitur, occasio, Societas, curiositas, otium, intemperantia &c.* 2. *Præsents Dei memoria.* 3. *Accurata confessio & crebra communio.* 4. *Fervens oratio & protestatio, invocatio B. V. Angeli C. S. Josephi, S. Xaverii, B. Aloysii & castissimi Joannis Bergmanni, qui invocatus post mortem, multis casti-*

tatis

raris donum obtinuit. p. 2. vitæ. pag 89  
 P. Petrus Faber, crucis signo se muniens  
 orabat : *Hostem repellas longius!* & ad  
 B. V. *Da mihi virtutem contra hostes  
 tuos!* 5. Adhibe. ut vocant repressalia,  
 actusque virtuti contrarios elice, sic Dia-  
 bolus ex veneno theriacam confici cer-  
 nens sponte ablisset. 6. Opera pœnitentiæ  
 assumenda & quidem post lapsum: acrior  
 pœna infligenda, ut Deum places, & de  
 Dæmone, à quo prostratus es, triumphes,  
 7. Memoria passionis Dominicæ & No-  
 vissimorum. 8. Dum actu tentatio pulsat  
 vehementior, protestare cum S. Augusti-  
 no, *Malo mori, quàm fœdari,* & corpori  
 aliquem dolorem imprime, duobus digitis  
 aliquantum cutem manus comprimendo.  
 Contraria contrariis, *resistite Diabolo &  
 fugiet à vobis,* Jac. 5. 9. In casibus pericu-  
 losioribus & extraordinariis, extraordina-  
 ria viri Sancti adhibuere antidota. Joseph  
 Patriarcha Gen. 39. adhibuit fugam. S.  
 Thomas Aquinas titionem. S. Benedictus  
 spinas. S. Franciscus & Dominicus pru-  
 nas. S. Bernardus nives. S. Ignatius pro  
 medela alterius aquam gelidam. P. Oli-  
 verius

verius Manaræus ad feminam morbum si-  
 mulantem confessionis gratiâ accitus, cum  
 clausis per famulos januis effugere non  
 posset, manibus in vas excrementarium im-  
 missis totam faciem sordibus opplevit &  
 periculum evasit. P. Laurentius Magius in  
 simili casu, similia præstitit. Alius Socie-  
 tatis nostræ Sacerdos in pari periculo,  
 prius cibum postulavit, ob imbecillitatem  
 suam ex jejuniis; accessit itaque à femina  
 credula famulis & cubiculū ingressis, ur-  
 banè Pater valedicens feminæ, foras pro-  
 diit & evasit. Alius Societatis nostræ Ecce-  
 siastes, cujusdam Magnatis Hæretici astu  
 in periculum intrusus, sic reprehendit Me-  
 retricem, ut peccata sua flere cogeretur.  
 Quo cognito Hæreticus in furorem actus  
 Patri castissimo membrum præcidit, qui  
 paulo post, coronam suæ constantiæ inter  
 Beatos accepit fortissimus castimonie  
 Martyr. P. Nierenbergius Lib. 5. Doct.

Ascet. cap. 32.



**De Sacramentalibus, quæ remedia sunt ad eluenda peccata venialia.**

**S**acramentalia, sunt signa sensibilia, ad latentem aliquem effectum instituta, v. g. ad peccatorum venalium remissionem.

I. Primum est *oratio Dominica*, potissimum ex ea parte qua dicit, *dimitte nobis debita nostra*, si cum compunctione & displicentia venialium conjugatur; sic enim culpam & pœnam integram vel partialem pro compunctionis qualitate remittit.

II. *Aqua benedicta*; de qua Alex. I. Papa, qui vixit Anno 121. ait: *Aquam sale confersam in populis benedicimus, ut eâ cuncti aspersi sanctificentur & purificentur.* Probabilius tamen sola aspersio non sufficit, sed requiritur ut simul motum internum pœnitentiæ & displicentiæ circa ista peccata excitemus. Ita docet S. Thom. 3. p. q. 78. a. 3.

III. *Generalis Confessio*; in principio mis-

missæ & distributione Eucharistiæ, cum contritione & humiliatione conjuncta.

IV. *Tunso peccatoris*, cum interiore detestatione peccatorum & compunctione. De qua S. Aug. L. 50. Hom. 50. c. 8. *Peccata levia, ait, nos à Sponsi amplexibus separant, nisi quotidiana pœnitentia disseceretur. Quorum diluendorum causa, quotidie tundimus pectora, & nos peccatores confitemur.*

V. *Eleemosyna*, corporalis & spiritalis. *Peccata tua eleemosynis redime.* Dan. 4. Non quod immediatè delicta tollat, sed quod cor ad motum detestationis habendum emolliat, & parva nostra misericordia, magnam Domini misericordiam, ad dandū nobis peccatorū dolorem, insectat.

VI. *Benedictio* accepta ab Episcopo vel Abbate, cum peccatorum detestatione conjuncta. Addunt alii esum escarum benedictarum, & preces pro peccatis propriis in Ecclesia consecrata fusas. Sic Dominus promisit Salomoni se exauditurum orationes in templo sancto suo, quibus peccatorū veniam postulerent. 3. Reg. 3. His itaq; mediis crebro utere, & maculas innumeras faciliè absterges.

§. VI. De indulgentiis.

**M**agni æstima indulgentiam, quæ, ut describit Card. de Lugo: Est relaxatio pœnæ temporalis debita pro peccatis jam dimissis, concessa à Prælato Ecclesiastico. Hanc igitur frequenter lucrari conare. Pro quo servient sequentia.

I. Fac ut habeas numisma, aliudve medallium, cui applicata indulgentiæ; & cura, ut habeas formulam, descriptam, in qua opera pia præstanda recensentur. Ita multiplices indulgentias, easque sæpissimè lucrari poteris.

II. Potes lucrari, indulgentias stationum Urbis Romanæ si in nostra Ecclesia ores devotè ante altare majus §. Pater & Ave *Compend. Priv.* Hoc privilegium concessum minimis per Julium II. Minoribus & Prædicatoribus per Innocentium III. nobis per communicationem à Pio V. Anno 1571. ut autem constat, quibus diebus obtineri queant, & quidem vel plenariè, vel centū, aut mille, aut plurimorum annorum, atexto breviter dies mensium. Die Januarii 1. 6. 13. 17. 20. 21.

22. 25. 26. 28. Februarii die 2. 5. 22. 24. Martii 7. 12. 19. 20. 21. 25. Aprilis 23. 25. 30. Maji 1. 3. 6. 8. (& ab hoc die singulis diebus usque ad 1. Augusti plenariæ ad S. Joan. Lateran.) 12. 20. 31. Junii, 2. 11. 13. 15. 22. 25. 26. 28. 29. 30. Julii 1. 2. 14. 15. 17. 20. 21. 22. 23. 25. 26. 27. 28. 29. — Augusti 1. 2. 3. 4. 5. 6. 8. 10. 12. 14. 19. 21. 24. 28. 29. Septembris 7. 8. 14. 16. 20. 21. 29. 30. Octobris 4. 18. 28. Novembris, 1. 2. 8. 9. 10. 11. 18. 19. 21. 22. 23. 24. 25. 29. 30. Decembris, 2. 4. 5. 6. 7. 8. 21. 25. 26. 27. 28. 31. Item 4. Dominicis Adventus, & 4. Temporibus Dom. Septuag. Sexag. Quinquag. & à die cinerum, usq; ad Dom. in albis indies ac per totam octavam Pentecostes.

III. Gregor. XIII. Año 1579. Societati nostræ concessit, ut in nostris Ecclesiis orantes, possimus lucrari omnes indulgentias, quæ habentur in aliis Ecclesiis & locis piis civitatis, in qua moramur. Vid. *Compend. Priv.* & Bullam Gregor. XIII.

IV. Nostri quando communicant, indulgentiam plenariam consequuntur. Leo X. in Bulla. Dilectar.

V. Nostri quoq; in ingressu Societatis & in morte lucrantur indulgentias plenarias. Bulla Julii II.

Probet autem seipsum Homo. 1. Cor. 11.



Eccē ignis et ligna. Gen. 12.

✠ (107) ✠

## HORA VII.

### SACRUM, vel COMMUNIO.

#### §. I.

### Præparatio ante Sacrum vel Communione[m].

**I.** **P**robet autem seipsum homo & sic de pane illo edat. Clamat Apostolus, 1. Cor. 11. Ideoq; ad hoc opus omnium totius diei præstantissimum, omni possibili diligentia te præpara. Præparatio autem duplex est, remota & proxima. Remota consistit in vita ordinata, mortificata & accurata tam in parvis, quam in magnis, qualem in hoc libello describimus. Proxima consistit in animæ puritate, fide viva, desiderio ardente, humilitate profunda, & devotione actuali, & fervore sanctæ sanctæ tractandi. Unde S. Bonaventura ait: *Cum Sacerdos fuerit totus alteratus & quodammodo divinus effectus, ita ut nil nisi Deum videat. tunc accedat. Hos calores sacros experiebatur S. P. N. Ignatius, tantis interdum sub sacrificio ardoribus æstuans, ut omnes partes corporis exardescerent, ve-*

ne-

neque omnes manifestâ cordis palpitatione micarent. P. Lancic. opusc 18. c. 9.

Tu ad aliquem saltem fervorem ac devotionem excitandum, imitare B. Aloysium, qui tribus prioribus hebdomadis diebus, pro suscepta Eucharistia, gratias agebat; posterioribus, dignè suscipiendi gratiam fligitabat. Pridie diei communionis id unum mysterium in ejus sermonibus verfabatur; cum hac cogitatione lectum petebat & surgebat: unâ deinde horâ de SS. Eucharistia meditationem instituebat, totumque tempus matutinum in spiritualibus exercitiis infumebat. L. 2. vitæ. c. 2.

Imitare hoc Scholasticorum lumen: præmitte opus aliquod humile, charitatis, poenitentia, mortificationis, misericordia corporalis aut spiritualis, occasionem hujus Scholæ pauperes præbeant. Vel maxime autem devotio, reverentia, desiderium, humilitas, aliæque virtutes excitantur meditatione. Proinde ex sequentibus, punctum unum meditandum

selige.

§. II.

§. II.

PRAXIS I.

Comunicandi vel sacrû celebrandi.

Accede tanquam miles inermis ad belli ducem.

I. **D**omine JESU Christe, Rex meus & Dux invictissime! Tu me licet indignum, ex gratia singulari vocasti, de mundo ad Religionem, de tenebris in admirabile lumen tuum, ut in Societate tua sub sanguineo crucis Labaro tibi strenue militarem. Cùm verò me undique inermem deprehendam, atque ita malè munitum, ut tutò in campum prodire nequeam, ad te Ducem meum, in Venerabili Sacramento absconditum, suplex venio, ut armis cœlestibus me instruere & communi digneris.

II. Indue ergo me, Imperator invictissime armaturam Dei, ut possim stare adversus insidias Diaboli. ad Ephes. 5. Non enim est nobis colluctatio adversus carnem & sanguinem, seu homines visibiles, carne & sanguine constantes; sed contra spiritus invisibiles, nec solum ex infimo choro

præ-

præcipitatos, sed & adversus principes & potestates; adversus mundi Rectores tenebrarum harum. Dignare igitur me baltheo seu cingulo militari circumdare; ut stem succinctus lumbos in veritate (v. 14.) eoque Sacramenti militaris, & fidelitatis, quam tibi, tam in baptismo, quam Societatis ingressu juravi, identidem ad monear.

III. Præterea, indue me, ô Rex potentissime! *loricam justitiæ*, omnium virtutum complexione munita, ut bello offensivo & defensivo acres hosti plagas infligere valeam. Et ne fortè offendam ad lapidem pedem meum, *calcea pedes meos in præparatione Evangelii pacis* (vers. 15.) ut alacriter Evangelium annunciem, ac peccatores & Hæreticos convertere valeam. Jube me quoque; *in omnibus sumere scutum fidei*. (v. 16.) *in quo possim omnia tela nequissimi ignea extinguere.*

IV. Ne verò trepidem & formidem, ob hostium multitudinem & potentiam, O Bellator fortissime! Contege obsecro, caput meum, *Galea salutis* (v. 17.) & spem mihi firmam impertire: hac enim munitus, animum erigam: & si consistant adversum

*me castra, non timebit cor meum: si exurgat adversum me pralium, in hoc ego sperabo.*, psal. 26. Maximè si addideris quoque *gladium spiritus* (v. 17.) quod est verbum Dei, quo, armatus, mundum, carnem & demonem, omnesque hostes me oppugnantes animosè confodiam. — Elicitâque fide vivâ, ac desiderio, & humilitate ad Regem tuum liberalissimum confidenter accede.

*Post communionem vel sacrum.*

Prestat Christo, corde recepto, ex corde quodammodo bulliente in affectus ardentibus, quos Spiritus & devotio suggerit, erumpere; quàm mox aliquid è Libello pio legere. Elice ergo hos affectus. 1. Fidem. Tu es Christus Filius Dei vivi. 2. Humilitatem. Unde hoc mihi ut Dominus & Rex meus ad me & vile tentorium cordis mei veniat. 3. Adorationem. 4. Gratiarum actionem. 5. Charitatem. Offerendo te ipsum & omnia. 6. Petitionem, necessaria tibi postulando.





**Celebrandi, vel communicandi.**

Accede ad Christum, tanquam infirmus ad medicum vitæ. S. Thomas Aquin, in orat. de Euchar.

*I. Ostende vel expone morbum tuum.*

**O**mnipotens sempiternæ Deus: ecce accedo ad Sacramentum unigeniti Filii tui D. N. Jesu Christi; accedo tanquam infirmus ad medicum vitæ; & medelam unicè desidero ò cœlestis Samaritane! ecce quot morbis vitiorum afflicus jaceo Nam ecce languent aures & oculi curiositatis vitio; languet lingua & os gulæ & loquacitatis morbo, languet cor amore proprio. Languet anima superbie & iræ febribus, Domine si vis potes me sanare!

*II. Actus spei de omnipotentia Medici.*

O cœlestis Thaumaturge: tu potens es in sermone, tantum dic verbo & sanabitur anima mea. Potens es & in opere. Si tantum tetigero, vivam fide & fiducia, salvus ero: si enim hæmorrhoidiam duodecim años fluxu sanguinis laborantem solius sibriæ tactu extemplo sanasti, quantum magis caro & sanguis tuus me sanabit? Ah! sana ergo me & sanabor.

*III. Desiderium Adventus Medici.*

Si infirmus medicum, si vulneratus chirurgum, tanto desiderio expectat; quanto desiderio & sancta impatientia me ad te anhelare necesse est, qui undique vulneratus sum, totus languéo, & à planta pedis, usque ad verticem non est in me sanitas? Ah! veni, veni! omnis mora longa est & periculosa!

*IV. Humilitas.*

Sed quomodo a usim appropinquare ad te, ò Divine Archiater, totus leprosus, totus paralyticus, aliisque foedissimis morbis obnoxius. Domine non sum dignus &c.

*Post sacrum vel communionem.*

Elice affectus, in quos pauper infirmus pluribus morbis gravatus erumperet adveniente peritissimo Medico, in casam ejus.

- 1. Fidei. Si vis potes me juvare.
- 2. Spei. Paralyticum 38. annos in infirmitate habentem, mox sanasti, & me quoque sanabis Domine. Mitte me ergo in piscinam pretiosi sanguinis tui, & hoc balneo pretioso me sana & ablue.
- 3. Adoratio.
- 4. Gratiarum actio.
- 4. Charitas & oblatio.
- 5. petitio.

✿ (114) ✿  
PRAXIS III.

Celebrandi aut communicandi.

Accede ad Christum, tanquam immundus  
ad fontem misericordiae. D. Thom.

in Orat.

I. *Expone immunditiam tuam.*

**O** Domine! Ecce in iniquitatibus conceptus sum: & licet sacrâ baptismi undâ ablutus fuerim, ego tamen me rursus in cloacam peccatorum voluntariè conieci. Hinc immundus sum in omnibus, Immundus in corpore, quod est vas sordium & esca vermium: immundus in anima, propter tot vitia & peccata. Immundus in phantasia, ab impuris imaginationibus: immundus in intellectu, à pravis cogitationibus: immundus in voluntate, à terrenis affectibus, immundus in lingua, in corde, in sensibus & potentiis omnibus. Ah! Domine lava me!

II. *Humilitas.*

Quomodo verò tam immundus & sordidus accedere audeo ad fontem omnis puritatis, & sanctitatis viæ & patriæ, hominum & Angelorum! à te enim omnis puritas & sanctitas omnium tanquam ab  
in-

Praxis III. communicandi. 115

infinito fonte scaturit. Exi à me Domine, quia peccator sum & totus immundus, aut si ad te venire jubes, ampliùs lava me ab iniquitate mea.

III. *Spes.*

Confido in infinita bonitate, omnipotentia & fidelitate tua, me mundandum à te: tu enim promisisti: *Si fuerint peccata vestra ut coccinum, quasi nix dealbabitur, & si fuerint rubra quasi vermiculus, velut lana alba erunt.* Isai. 1. Dealba ergò me in sanguine tuo! si enim aqua Jordanis lepram Naami abluere potuit, quanto magis, aqua lateris tui lavabit me, & super nivem dealbabor. Domine si vis potes me mundare.

Denique excita desiderium emundationis, pete, ut laveris in balneo sanguinis JESU & munderis ab omnibus peccatis minimis, etiam ab occultis & alienis, quò Jesus tuus munditiei fons & author in in domo cordis tui mundata & ornata libentiùs habitet & requiescat.

Celebrandi vel communicandi.

Accede ad Christum tanquam Cæcus ad lumen claritatis æternæ.

S. Tho. in orat.

**O** Salyator mi, lux mundi, ego cum cæco Jerichuntino, audiente, advenire te, clamo: *JESU Fili David misere mei!* Lucę 18. & oculos meos aperi, ut videam & cognoscam. 1. Summam vilitatem meam, & tuam maximam excellentiam, & quâ ratione ad tantam Majestatem recipendam, me comparare debeam. 2. Ut videam summam debilitatem meam & inconstantiam ac tuam omnipotentiam & quâ omnem fiduciam in te collocare debeam. 3. Ut videam cœcitatē meam, & luminis tui infiniti claritatem, ac quomodo à te illuminari valeam. 4. Ut videam malitiam meam, & bonitatem tuam immensam, & quâ ratione à te emendari queam. 5. Ut videam paupertatem meam, & divitias tuas inexhaustas, ac quomodo ditari debeam.

Hos & alios affectus, fidei, spei, charitatis humilitatis, & desiderii, ac reverentię excita.

Post

Gere te instar pauperis cæci, qui veniente in tuguriolum suum Rege potentissimo, præ admiratione, gaudio, & reverentia, initio nescit, quid dicere aut facere oporteat. Tandem tamen, ubi se collegit, Regē quàm demississimè salutat, benevolè excipit, omni meliore modo tractat, ac deniq; paupertatis ac cœcitatē suæ remediū expetit. Hunc imitare & in similes affectus crumpe. Ac post hæc cogita te audire verba Christi Domini ad cæcum Jerichuntinum prolata Luc. 18. *Respice: fides tua te salvum fecit.* Et in spiritu dic:

**O JESU Fili David!** video & agnosco vilitatem meam & dignitatem tuam. Unde hoc mihi ut venias ad me? Ah! in humilitate funda me! video ô Jesu! debilitatem & instabilitatem meam & è contrâ potentiam & immutabilitatem tuam. Ah firma me in te! Video tenebras & cœcitatē meam, ac lumen & claritatem tuam: Ah illumina me! Video perversitatem & malitiam meam, ac rectitudinem & bonitatem tuam. Ah corrige me! Video indigentiam meam & opulentiam tuam, ah dira melemenda me, accende me, ut laudem te dignius & hinc & in æternitate. Amen.



**P R A X I S V.**

**Celebrandi vel communicandi.**

**Accede ad Christum Eucharisticum, tanquam pauper & egenus ad Dominum cœli & terræ. D. Tho. in orat.**

**I**Nstar mendici cœlestis Hierosolymæ plateas circui & à SS Trinitate, reliquisq; cœli principibus ditissimis stipem corroga.

**I. Ad SS. TRINITATEM!**

O Pater cœlestis ! ecce mendicus & pauper sum ego : quare ante thronum majestatis tuę prostratus peto suppliciter ; ut dones mihi Filium tuum in sanctissima Eucharistia , cum illo , pro modulo meo , affectu & cœlestium donorum copiâ , cum qua eum dedisti Beatissimę Virgini Marię in Christi Domini incarnatione. O Fili Dei altissime ! communica te mihi in sanctissima Eucharistia , cum eo affectu & cœlestium gratiarum plenitudine , cum qua te communicasti matri tuę in tua incarnatione. O Spiritus sanctissime ! præpara me ad SS. Eucharistię receptionem , sicut preparasti corpus & animam Beatissimę Virginis ad Christi Domini conceptionem.

**II. Ad B. V. M.**

O Virgo beatissima , & Mater Domini mei benedicta , impetra mihi singulariter erga Filium tuum Jesum in Eucharistia reconditum , pietatem & amorem ; ut eum tantâ complectar charitate , quanta tu eum in ulnis tenens complexa es.

**III. Ad SS. SERAPHINOS.**

O flagrantissimi amore , ignique Divino proximi Seraphini , vos singulari fervore & effervescentiâ ardetis ; ac facultate alios purgandi , illuminandi & inflammandi polletis. Obscuro vos , me tepidum , ad divina mysteria properantem , ita succendite , ut æterno amoris incendio , in hac communionem intimè conjungi merear. Amen. S. Dionys. Areop. de cœlesti Hierarchia. c. 7.

**IV. Ad S. CHERUBINOS.**

O Illuminatissimi , pleniq; cognitione , sapientia & oculis Cherubini ! vos tanquam viciniis primæ veritati conjuncti , præ aliis , radio divini luminis relucetis ; hauriamque lucem ac sapientiam , sine invidia in inferiora transfunditis. Illustrate me , obscuro , & discussis tenebris , ita

coelestis sapientiæ radiis illuminate, ut divina, quæ tractabo mysteria, profundius intelligam, & tractem sanctius. Amen. l. c.

*V. Ad SS. THRONOS.*

O sublimissimi, excelsissimiq; Throni, prope Deum, velut sedes prope sedentem constituti, in quibus quodammodo Deus residet, & judicia sua decernit. Vos à terrena vilitate secreti, summo Bono immobiliter inhaeritis, divinumque adventum suscipitis, virtutemq; supernè acceptam ad inferiora derivatis. Obtestor vos, omnem mihi ad terrena propensionem eximite, mentem in Deo defigite, ut in hac sacra communione, gratissimum Deo Thronum exhibeam. Amen. l. c.

*VI. Ad SS. DOMINATIONES.*

O Dominationes sanctissimæ! omni abjecta servitute superiores, summisq; Dominationis Principii semper avidæ. Vos absoluto & ab omni terrena vilitate libero transitu, ad superna tenditis. Vos nulla tyrannide, aut cupiditate infectæ, ad Eum qui verè est, totaliter convertimini, & subdita ad genuinam Dei similitudinem, quoad potestis, beneficè transformatis (l. c. c. 8.)

Pre-

Precor vos humillimè, me jam jam ad Dominum dominantium suscipiendum festinantem, cupiditatum mearum Dominum efficite, ut ad Eum, qui verè est, totaliter conversus, Dominicæ Deiformitatis particeps evadere merear. Amen.

*VII. Ad SS. VIRTUTES.*

O Virtutes excellentissimæ! inconcussa & forti virilitate in omnes actiones vestras redundante prædita! Vos Prælatos Ecclesiæ docetis, vos miracula patris, per vos virtus miracula patranda perfectis conceditur. Vos superessentialem virtutem constanter intuentes, ejusdem simulacra effectæ, ad eum validè convertimini, & virtutem in inferiora deiformiter transfunditis. Rogo vos demississimè; induite me virtute ex alto, & ad Dominum virtutum in Sacramento mox suscipiendum rite disponite, ut charitatis & virtutum miracula patrare merear. Amen.

*VIII. Ad SS. POTESTATES.*

O potestates invidiosissimæ! potentie vestræ viribus nequaquam, tyrannicè abutentes, sed animo invicto ad Deum vos ipsas dirigentes, aliisq; ad idem promoventes.

F 5

Vos

Vos potestates adversarias compescitis: Vos athletas spirituales confirmatis, Angelosq; inferiores divinæ potentæ conformatis. Quæso vos ardentissimè, à me adversarias potestates repellite, ad Deo animo invicto inhaerendum me disponite, in pugna spirituali me animate, ut reportatâ victoria æternū vobiscū triumphem, Amen.

*IX. Ad SS. PRINCIPATUS.*

O Principatus serenissimi! gubernandi potestate præditi, ad superprincipalem Principatum totaliter conversi, aliosque inferiores ad eum convertentes. Vos Angelis subditis præstis, atq; ad ministerium divinum explendum disponitis. Vos Regnis & Gentibus præsidetis. Vos subditos ad obedientiam, Regentes ad justitiam faciendam inducitis. Obtestor vos instantissimè, me jam jam ad aram accessurum, ad Deum convertite, ad obedientiam & justitiam exercendam disponite, omnèsq; mundi Principatus & regna ad veram fidem, cognitionem & amorem Dei promoveate. Amen. S. Dionys. l. c. 9. & S. Gregor.

X.

*X. Ad SS. ARCHANGELOS.*

O Archangeli magnificentissimi! summi Divinæ majestatis Nuntii! Vos prophetias revelatis! Vos illuminationes à superioribus acceptas, Angelis interioribus annuntiat, & per eosdem nobis præcipua fidei mysteria patefacitis. Ecce ego ad summum fidei mysterium celebrandum me accingo: obsecro igitur vos, occulta sapientiæ divinæ mihi manifestate, mentem illuminate, Dæmones removeate, ut summâ fide, devotione, pace & charitate, altissima hæc mysteria peragam. Amen

*XI. Ad SS. ANGELOS.*

O illustrissimi, pulcherrimiq; Angeli, in cœlesti dispositione ultimi, & hominibus magis propinqui. Vos minora nobis annuntiat; vos homines ad cognitionem & amorem Dei ducitis. Vos sursum per dilectionem Dei extendimini; & deorsum ad custodiam & auxilium nostrum progredimini. O intelligentiæ nobilissimæ; per inspirationes internas voluntatem divinam in dubiis, nobis annuntiate; ad Dei majorem cognitionem & amorem perducite; Nos stantes, ne cadamus tenete; cadentes

dentes ut surgamus, elevate; nec unquam nos, etiam peccantes deserite, sed semper maximè ad divina accedentibus, opem paratam ferte, ad gloriam unius Domini Dei nostri & vestri, Amen.

*XII. Ad omnes SANCTOS.*

**O** Pretiosissimæ ac beatissimæ Sancto-  
rum & Sanctarum cum Christo jam in cælo regnantium animæ! En ad Regem vestrum ac meum suscipiendum propero, sed vestro ornatu & virtutibus destitutum me agnosco & profiteor. Obsecro igitur vos per amorem Jesu, tantam mihi pietatem, devotionem, fervorem, desiderium, charitatem, ac virtutum omnium abundantiam impetrate; quantam vos in mortali vita habuistis, dum epulo divino reficeremini: ut Dominum Deum nostrum, cum summa ejus voluptate suscipere merear. Amen.

O Patriarchæ sanctissimi, impetrate mihi vivam fidem! O Prophetæ clarissimi impetrate mihi firmam spem in Deum & fiduciam! O Apostoli ardentissimi, impetrate mihi vehementem charitatem Dei & proximi! O Martyres fortissimi, impe-  
trate

trate mihi invictam patientiam! Ô Pontifices zelosissimi impetrate mihi indefessum zelum animarum! Ô Doctores illuminatissimi, impetrate mihi cœlestem sapientiam! Ô Confessores ferventissimi impetrate mihi verum orationis & mortificationis spiritum! O Cœnobitæ obedientissimi, impetrate mihi exactam observantiam disciplinæ! O Anachoretæ devotissimi, impetrate mihi studium recollectionis & silentii! O Virginis purissimæ, impetrate mihi donū castitatis angelicæ! O Viduæ piissimæ, impetrate mihi profundam animi demissionem! O Conjuges fidelissimi impetrate mihi concordiam & pacem! O Pœnitentes olim dolore plenissimi, impetrate mihi veram contritionem & fructus dignos pœnitentiæ! O Innocentes candidissimi impetrate mihi candidam simplicitatem & sinceritatem! ut hisce virtutum vestrarum cimeliis exornatus, dignior ad sacram synaxin accedere, in ea Jesu meo frui, & intimè eidem uniri merear. Per eundem  
Christum Dominum nostrum.

Amen.

Im-

Immediatè ante Communionem.

**P**ost dicta verba: *Corpus Domini nostri IESU Christi*. Si sacerdos sis, aliquantulum subsiste, ut faciebant S. Ignatius, S. Xaverius, S. Philippus Neri, C. Bellarminus, P. Claudius Aquaviva, Suarez, Georgius de Valentia, & multi alii viri valde sancti ac docti; neq; hoc vetatur rubricis. Et sequentes affectus elice. Humilitatis, Fidei, Spei, Charitatis, Contritionis, Dilectionis inimicorum, amoris crucis, renuntiationis & adorationis, quibus elicitis cum Salvatore tuo intimè, sacram sumens hostiam, conjungere.

*Post SACRUM vel COMMUNIONEM.*

**M**onitum I. Ne ante consumptas species, abeas: est enim, ut monet S. Theresia, æquè inurbanum, ac si Christo domū nostrā ingresso, ipsi mox abeamus.

Monitum II. S. Magdalenæ de Pazzis: Non esse efficacius medium ad acquirendam veram perfectionem, hoc S. Sacramento; & si hoc bono, ait, uti sciretis, paucis diebus replemini celesti amore. In vita c. 65.

Post

Monitum III. P. Balthasar Alvarez c. 6. vitæ. Magni semper faciat, tempus quo communicat, quo divina majestas cum ipso manserit, attendat ne vel momentum amittat tam felicitis temporis.

Monitum IV. Proinde saltem mediam horulam recollectioni tribuat. S. Pater noster duas horas contemplationi dabit. P. Lessius horam, alii non minus.

**M**ox à Communionem, elice hos affectus.  
 1. Adorationis. 2. Gratiarum actionis. 3. Oblationis. 4. Humilitatis, Petitionis, alióq; quos devotio suggeret, non secus ac cuiuspiam Principi aut Monarchæ domum tuam ingresso, similes affectus exhiberes. Et quoniam pauperem & mendicum agere cœpisti, spiritualem mendicationem, celestis Hierosolymæ plateas obeundo, continua.

*Ad DEUM.*

**O**mnipotens sempiternæ Deus, rogo divinam Majestatem tuam, per unigenitum Filium tuum, quem modo suscepi, ut hanc communionem, hoc sacrum, has oblationes in odorem suavitatis acceptare digneris, atque effundere in nos & omnia

omnia nostra omnem benedictionem cœlestem, in mensura bona, conferta, & coagitata, & superfluente, præsertim hæc benedictio derivetur in hæc NN. deinde in defunctorum animas NN. deniq; in Ecclesiæ, Patrię, Societatis & Provinciæ nostræ necessitates.

*Ad B. V. Mariam.*

Aspice benignissima Virgo, Jesum, dilectissimum Filium tuum, quem purissimis visceribus concipere, & studiosissimis obsequiis prosequi meruisti; & impetra mihi, ut eundem Filium tuum in communione, semper purissimo corde recipere, & ferventissimè eum amare merear.

*Ad SS. Angelos.*

Aspice ministri Altissimi, facientes verbum ejus, primogenitum Patris æterni, quem introeuntem in orbem terrarum, jussu Patris, adorastis; & facite me illi eo Spiritu servire, quo vos eidem servivistis in terris, & nunc servitis in cœlis.

*Ad SS. Patriarchas & Prophetas.*

Aspice cœlestes Nuntii, consilii mirabilium secretorum, promissum ab initio, mundi redemptorem, tantopere à vobis de-

desideratum & expectatum: & facite me totis viribus & affectibus cordis, ad ipsum anhelare, & ad dilectum meum diu notuque suspirare.

*Ad SS. Apostolos.*

Aspice Evangelii præcones clarissimi, dilectissimum Magistrum vestrum, quem toto corde tam ardentè amastis, & facite me eundem super omnia intimis cordis medullis ferventer diligere.

*Ad SS. Martyres.*

Aspice Testes fidei fortissimi, Christum crucifixum pro cujus amore sanguinem vestrum, adeo libenter fudistis, & facite me, ejus amore, inter cruces & molestias generosè vivere, & promptè pro eo sanguinem profundere.

*Ad SS. Confessores Pontifices.*

Aspice Pastores gregis Dominici, Agnum immaculatum, quem vos in altari sacro, omnipotenti Deo toties immolastis in odorem suavitatis. Et facite me eundem Deo dignè offerre, ac me illi per opera sancta perpetuò in odorem suavitatis immolare.

*Ad*

*Ad SS. Confessores Religiosos.*

Aspicite servi fideles Domini mei dulcem & dilectum Dominum vestrum; cuius amore omnia Mundi oblectamenta reliquistis. Et facite me pro ejusdem amore, in hoc statu pauperulo usque ad mortem perseverare, & ad magnæ sanctitatis gradum pertingere.

*Ad Beatos Societatis nostræ.*

Aspicite, Fratres charissimi, Ducem vestrum, cui vos in hac vita, verbo & exemplo tantopere conformastis: & facite me, atque omnes Fratres nostros, adhuc in Ecclesia militantes, copiosam animarum prædam, absque detrimento professionis nostræ reportare, & auctos optimis operariis ad hanc vineam vocatis, cum grandibus meritorum manipulis ad vestram & Ducis nostri Societatem pervenire.

*Ad SS. Virgines.*

Aspicite Sponsæ Agni immaculati, dilectum vestrum, cui virginitatem vestram, tantâ cum exultatione conservastis: & facite me semper oculis dilecti mei & vestri mundum apparere, & purum ab omni labe peccati & pœnæ obligatione ex hac vita, rectâ ad cœlum emigrare. *Ad*

Aspicite, Amici Dei charissimi Magistrum & præmium vestræ sanctitatis; cui in hac vita unicè placere desiderastis: & facite me in via perfectionis, nunquam subsistere; sed magnis passibus in vera, & spiritui Societatis conformi sanctitate semper procedere. *Conclude, cum petitione benedictionis.*

*P R A X I S*

*Faciendi memento.*

Ante vel post sacrum aut communionem more R. P. Alberti Mentzinski Poloni postea Japoniæ Martyris.

**E**GO Domine, sequendo consilium Jesu, qui dixit: *Rogate ergo Dominum messis, ut mittat operarios in messem suam.* Lucæ 10. Te rogo cum instantia Domine.

I. Pater, *vide regiones, qua alba sunt ad messem.* Aspice Deus animæ meæ, oculis misericordiæ tuæ, & compatere omnibus Sinenfibus, Japonibus, Indis orientalibus & occidentalibus, ac toti gentilitati, ut cognoscat te Deum verum & vivum, & quem misisti Jesum Christum. Mitte ergo operarios in messem tuam. *II.*

II. de Pater, vide regiones, quæ alba sunt ad messem. Aspice Deus animæ meæ, & compatere omnibus Mauris, Tartaris, Turcis & reliquis nationibus, quæ sequuntur impiam sectam Mahometis; ut cognoscant te Deum verum & vivum, & quem misisti Jesum Christum. Mitte ergo operarios in messem tuam.

III. Pater, vide regiones, quæ alba sunt ad messem & compatere omnibus Judæis, Hæreticis, & Schismaticis, ut cognoscant te Deum verum, & quem misisti Jesum Christum, & uniantur Ecclesiæ tuæ & sic fiat unum ovile & unus Pastor. Mitte ergo operarios in messem tuam, propter te ipsum, propter sanguinem Jesu, & merita B. M. omniumque Sanctorum.

IV. Pater vide Ecclesiam tuam sanctam. Aspice Deus animæ meæ oculis misericordiæ, & compatere Ecclesiæ tuæ sanctæ, toti que populo Christiano. Pone, Deus meus in ea spiritum novum, & omnes status renova, ut quilibet juxta obligationem suam sincero tibi corde deserviat.

V. Reforma Domine, statum Clericalem, à Pontifice ad infimum Clericum, ut sint

sint sicut in primitiva Ecclesia. Reforma etiam Religiones omnes, & fac eas redire ad fervorem & sanctitatem, in qua sunt institutæ. Ut verificetur de illis hic in terris, quod Filius tuus promisit futurum in cœlis. *Erunt sicut Angeli Dei.*

VI. Reforma quoque Domine universum statum sæcularem, incipiendo à Rege supremo ad infimum subditum, & à Generali ad minimum militem. Singulisque concede in suo statu tam piè, sobriè, justè ac purè degere, ut sicut lux luceant coram hominibus, & glorificent te Patrem nostrum, qui in cœlis es.

VII. Denique benignè oculis aspice, Deus animæ meæ, amantissimam matrem meam Societatem Jesu ac 1. non permette ut in ea fervor & primitivus Spiritus relaxetur, sed constitutiones & regulæ perfectissimè custodiantur. Exhibe te benignè, solitisque gratis tuis illam adjuva, ut omnes ejus Filii salventur; & si qui sint in ea reprobi, tanquam hædi dimittantur; & reliqui tanquam oves prædestinatæ custodiantur. 2. Concede Societati & in quolibet ejus membro perface spiritum Christi fer-

feruentissimum, ut instrumenta apta totius reformationis Ecclesie & conversionis totius mundi evadant. 3. Largire Patri nostro Generali, Provincialibus, & Superioribus omnibus omnimodam perfectionem, sanctitatem, prudentiam & gratiam subditos bene gubernandi, & his obediendi, secundum gustum & beneplacitum tuum. 4. Tribue omnibus nobis & singulis fidem vivam, spem certam, charitatem seraphicam, intentionem puram, castitatem angelicam, paupertatem Evangelicam, obedientiam Apostolicam, resignationem absolutam; cum donis lacrymarum & contritionis, perseverantiae, & orationis perfectae, ad maximam gloriam tuam.

VIII. Totum hoc Pater amantissime, peto à te, & si est possibile, videam impletum. Veruntamen non mea sed tua voluntas fiat. Atque ut ea præstare digneris, offero ac do, quantum possum, tibi Teipsum, Matrem meam Mariam cum omnibus Angelis Sanctis & animabus purgantibus. Omnes homines presentes & futuros cum eorum meritis, ac denique me totum cum omnibus potentiis & actibus, unitis Jesu & Sanctorum meritis. Amen. *Pro-*

*PROBLEMA.*

Seu paradoxum, cur multi ex S. Communionem adeo frequenti tam parum proficiant; quod mirabilius videtur, quam versantem in igne, algere, in aqua non madescere, in sole non illuminari. Sumimus enim Christum, ignem infinitum, solem justitiae, aquam salientem in vitam æternam. Et S. Dionysius c. 8. Eccles. Hierarch. docet sanctissimam Eucharistiam vim perficiendi habere; imò vim maximam perficiendi omnia sacramenta, ideoque ab Apostolo vocari Sacramentum Sacramentorum. Sancta verò Maria Magdalena de Pazzis c. 49. vitæ asseruit, communionem unam probe peractam, ad animam perficiendam sufficere.

Æ. I. Causam hujus defectus in vitæ nostræ activæ occupationes minimè refundendam esse: hæ enim Eucharistiæ fructum haudquaquam sufflaminant. Liqueat id ex vitis Sanctorum nostrorum Ignatii, Xaverii, nec non Barzæ, Silveriæ, Mancinelli, Colnagi, Realini & aliorum salute & auxilio animarum perpetuo ferè se occupantium, & tamen ad summam perfectionem per-

pervenientium. Quod & hodieum plures has distractiones Dei amore subeuntes experiuntur.

Respondeo II. Radices esse has. I. Multitudo peccatorum venialium, ex supina negligentia commissorum, quæ fervorem charitatis minuunt, ut docet S. Thomas 1, 2. q. 81. Deinde negligentia & peccata venialia in ipsa præparatione, sumptione Eucharistiæ, & gratiarum actione admissa. Tertio, aliud manducas, aliud esuris, ait Cardinalis Bona. Affectum retines ad res terrenas, conversationes humanas, recreatiunculas &c. Manna non tribuit Dominus, nisi deficientibus Ægypti cibariis. *Anima saturata calcabit favum.* Prov. 27. Quarto exiguum desiderium. Panis iste interioris hominis requirit esuriam, ait S. Augustinus. Quinto denique non cooperamur pro viribus gratiæ Sacramenti, non strenuè rem aggredimur; occasiones virtutum sese offerentes negligimus. Aliàs auxilium Domini & manum non abbreviatam certò experiremur. Nam facienti, quod est in se, gratiam Deus non denegat.

HORA VIII. & IX.  
STUDIUM.

## §. I.

## De virtute Studiositatis.

**N**E Scholastici nostri vel per excessum, vel per defectum in studiis suis impingant, Studiositas calcar & frænum exhibet. Studiositas enim virtus est, quæ affectum & studium cognoscendi, secundum rationis præscriptum moderatur. 1. Ne quis plura & altiora scire aveat, quàm conditio & capacitas ferat, nec pluris scientiam quàm virtutem faciat. 2. Hæc ipsum studium in acquirenda scientia moderatur, ut quis studeat sicut, & quibus oportet. 3. Ad studium excitat, si languor obrepit. Atq; ita virtus hæc duplici vitio sibi opposito resistit; dum scilicet curiositatem, quæ rebus inutilibus & statui suo non convenientibus vacare gestit, refranat; & negligentiam, quæ est voluntaria omissio discendi ea, quæ scire quis tenetur, extimulat.

Amplectendum itaq; est Doctoris melliflui consilium *Serm. 36. in Cant.* Sic suaden-

dentis: *Observa, quid scire magis, priusve oporteat, tempus enim breve est. Ea igitur prius scire, ampliusque curato, qua senseris viciniora saluti.* 2. Quo ordine, quo fine. Sunt namq, qui scire volunt eo tantum fine ut sciant, & turpis curiositas est. Et sunt qui scire volunt, ut sciatur ipsi, & turpis vanitas est; & sunt, qui scire volunt, ut scientiam suam vendant, & turpis questus est. Et sunt quoq, qui scire volunt, ut adificent, & charitas est. Et item scire volunt, ut adificentur, & prudentia est.

## §. II.

## De methodo religiosè studendi.

**M**onitum I. Cùm vita Religiosi, ut docet, *D. Thomas*, tota divinis obsequiis, tanquam holocaustum perfectum, mancipata sit, omnis scientiarum studium, ad studium amoris Dei à Religioso ordinandū est. Quod & Apostolus docuit, ad *Titum* c. 1. *Ad agnitionem veritatis, qua secundum pietatem est, in spem vite aeternae, scilicet ad cognitionem & cultum Dei.*

Monitum II. Quare Religiosus studiis vacans, conjungat scientiam amori, eo  
mo-

modo, quo Beati in caelo faciunt; atque ad similitudinem Verbi aeterni, quod à patre procedit non tanquam Verbum solum sed tanquam Verbum spirans amorem. Pari modo scientia Religiosi, non sit nuda scientia, sed scientia spirans charitatem; semper, quantum licet, cognitionem reducendo ad affectum. Hinc ut docet *Suarez Tom. 4. de Relig. ex S. Augustino de grat. & lib. arb. cap. 1. Religiosus animus, non ita absorbeatur ut non quandoq, ad DEUM recurrat, nunc intentionem renovando, nunc petendo auxilium, nunc gratias agendo de veritatis intelligentia.*

Monitum III. Sed allaboret, ut totum studium suum sacrè sit & divinum, Deumque praesentem habeat ante studium, in studio, post studium. Ante studium, purè illud dirigendo ad gloriam & amorem Dei. In studio, speculationibus varios miscendo affectus & aspirationes, amorem Dei spirantes. Post studiū instar lapidis, vi alicubi detenti, sublato impedimento, ruentis ad centrum. Ita Religiosus, praeter lapsa studendi obedientia, subitò ad Deum recurrat,

rat, velut ad centrum, per anagogicas mentis elevationes aspirando ad Deum, vivendo cum Deo & de Deo. Hæc est scientia Sanctorum; & sapientia, quam acquirere debemus in terris, ut deinde æternum gaudere valeamus in cælis ut docet *P. Vincentius Carrassa L. de Divin. Sap.*

## §. III.

## Praxis ipsa studendi.

I. Societatis nostræ Scholasticus, ut S monitis prædictis pareat, ante arulam aut crucifixi & B. V. iconem flexis genibus opem Spiritus S. imploret more B. Aloysii Scholasticorum nostrorum Principis. *Lib. 2. vita c. 5.*

II. Serviet eò oratiuncula D. Thomæ Aquinatis, *Creator ineffabilis.* Vel sequens:

*Da mihi Domine sedium tuarum a sinistra sapientiam, ut mecum sit & mecum laboret, & sciam quid acceptum sit apud te, Domine Deus. Sensum enim tuum quis sciet, nisi tu dederis sapientiam, & miseris Spiritum sanctum tuum de altissimo.*

Versf.

Versf. *Emitte Spiritum tuum & creabuntur.*

Re. *Et renovabis faciem terra.*

Oremus.

*Deus qui corda fidelium & c.*

Deniq; librum aut calamum arripiens dic: *Tot tibi sint laudes JESU, quot grammata scribo, vel lego.*

III. Sub ipso studio, mentem subinde ad Deum elevet, vel lumen petendo vel intentionem renovando, vel gratias agendo, v. g. ad horæ sonum, ad novi Capituli, vel paginæ inchoationem, ad crucis pingendæ signum, aut initiales Patronorum literas.

IV. In dubiis inextricabilibus cum D. Thoma ad Deum, vel cum S. Bonaventura ad crucifixum, vel cum B. Aloysio ad B. V. tanquam instructissimam bibliothecam confugiat.

V. Studium peractum SS. Triadi per manus B. V. & SS. Patronorum offerat, cum hac clausula: *Tot tibi sint laudes JESU, quot grammata scripsi, vel legi.*

legi.

G 3

HO.



HORA X.

*A Scholis Scholasticus vel Magister non diu in Schola vel area hareat, sed tempestive discipulos expediat, ut in puncto signi examen auspiciari valeat: & hanc ipsam obedientia accuratorem in examen adducat.* I. Quadrante Examen.

EXAMEN Conscientiæ.

*Quinque puncta, Christi quinque vulneribus accommoda, & ad singula puncta unum vulnus osculare.*

PUNCTUM I.

*Solve Deo grates.*

**A**doro, laudo, & benedico te DEUS meus, & gratias ago immortales, pro omnibus beneficiis, in primis sacrosanctæ Humanitati Christi, amantissimæ Matri ejus, reliquis Sanctis & mortalibus omnibus tam profusè collatis. Deinde pro beneficiis mihi singulariter in corpore & anima præstitis, pro beneficio creationis, conservationis, sustentationis, redemptionis, sanctificationis, vocationis ad Societatem, aliisque innumeris. Benedicte sit in æternum omnipotentia, providentia & charitas tua

in.

infinita, quæ omnibus diebus vitæ meæ, ac præsertim hodie, erga me, tam benignam, liberalémque se exhibuit. In gratiarum actionem offero tibi laudes militantis & triumphantis Ecclesiæ, merita Jesu Filii tui, Salvatoris mei, & sanguinem ejus infinite pretiosum, quem in cruce è vulnere manûs dextera effudit.

PUNCTUM II.

*Pete Lumen.*

**O**bscuro te, Deus cordis mei, per sacratissimū sanguinem Filii tui, qui ex vulnere sinistra manûs ejus, pro nobis manavit, ut gratiam mihi copiosam dare digneris, agnoscendi, detestandi, declinandi & corrigendi peccata mea; ut in die judicii non ad sinistram, sed ad dextram Judicis per sanctos Angelos tuos collocari merear. O lux vera! quæ illuminas omnem hominem venientem in hunc mundum, mentem meam illumina!

PUNCTUM III.

*Discute mentem.*

**O** domine! quàm longè aberravi à perfectionis semita, etsi illam cruentis vestigiis mihi Christus designavit! quoties hodie rursus prolapsus sum! *Hic*

*Hic examina per singulas diei horas, cogitationes, verba, opera, omissiones, nec omittite imperfectiones, & regularum transgressiones. Reflecte igitur qui peracta sequentia.*

1. Examen præteritæ diei. 2. Prælectio meditationis. 3. Preces vespertinæ. 4. Somnus. 5. Alacritas in surgendo in puncto signi. 6. Primæ cogitationes 7. Surrectio an decora. 8. Lecti decens compositio aut contentio. 9. Visitatio venerabilis. 10. Præparatio ad meditationem. 11. Observatio additionum. 12. Inchoatio ad primum campanæ sonum. 13. Præludia, collectio mentis in meditatione, ut non elabatur ad impertinentia, Exercitium memoriz. intellectus & voluntatis. Custodia sensuum. Repulsa distractionum. Situs decorus. Omissio actionum inconuenientium. Completio temporis. Recollectio, propositorum, luminū, affectuumq; annotatio & postmodum executio. 14. Confessio sincera, humilis, exacta, contritio fervens, propositum serium, impletio penitentiz, nihil perfunctoriè & ex consuetudine. 15. Horæ minores attentè, tardè, piè,

reuerenter, opportuno loco & tempore. 16. Præparatio ad sacrum vel communionem, seria, fervens, devotissima. Sacrum & sub eo custodia sensuum, exclusio distractionum, observatio ceremoniaram, absq; præcipitatione verborum. Recollectio attenda, fervens, non decurtata, non loquendo interrupta. Canticum trium puerorum attentè, ferventer. 17. Studium cum intentione pura & aliis requisitis. Doctio accurata cum præparatione debita & temporis distributione exacta. 18. Examen generale accuratissimum, dolor serius, propositum non obiter, & ne uni discussione diutiùs inhæreatur, & contritioni tempus præripiatur, iuvat illud metiri ad clepsidram quadrantis. Atq; ita de cæteris.

O me ingratum ac tepidum! veste religioſa, ac tot Filiorum DEI cœtu indignum! quot delicta, negligentias & imperfectiones rursus commisi! Sacratissimus sanguis è Vulnere sinistri pedis Redemptoris mei profluens, deleat vestigia pedum meorum, quibus ab ejus imitatione & virtutum semita aberravi.

## PUNCTUM IV.

*Delicti veniam posce.*

**Q**uis dabit capiti meo aquam, & oculis meis fontem lacrymarum, ut ad pedes Salvatoris cum Magdalena ingratitude, negligentiam & peccata mea defleam? Tibi soli peccavi, & malum coram te feci. Dolco medullitus, quod offenderim te, mi Deus, qui es summum Bonum meum, Cruciat me valde, quod ad iram provocaverim te, qui es Creator meus, Redemptor meus, primum Principium meum & ultimus finis! vehementer affligit me, quod res nullius momenti, ob quas te offendi, plus amaverim, quam te; adeoque rei vilissime postposuerim te, maximum & æternum Bonum meum! Diligo enim nunc te super omnia creata, & mallem rerum omnium conditarum jacturam fecisse, quam te vel semel offendisse. Detestor universa delicta mea, super omnia alia mundi mala, quia tibi displicent, & tu summè eadem detestaris. O si dolerem millies amplius, sic te à me læsam, ò infinita Bonitas! amplector supplex pedes Filii tui,

&amp;

& per vulnus pedis dexteri rogo te, ut mihi dicere digneris, quod olim Magdalene dixit Filius tuus: *Remittuntur tibi peccata tua.* Eâ spe fretus in apertas Jesu mei plagas, in abyssum miserationis tuæ, me totum projicio, ac per merita passionis ejus, à Bonitate tua veniam spero. Respice in me, & miserere mei.

## PUNCTUM V.

*Malinq. fuga.*

**O** Amantissime JESU! ex hac hora satisfaciam æquissimo desiderio cordis tui, pro salute mea in cruce transfixi, & corrigam quidquid mali & negligentia admisi. Nunquam, nunquam te offendam amplius, nec in minimis quidem, sciens volensq; ò Bonitas summè amanda! Confirma hoc propositum meum, per merita sanguinis tui, ex intimo cordis sinu pro me effusi: quæ tibi cum vita, passione & morte tua in satisfactionem offero. Unio cor meum cum vulnerato corde tuo, mi Jesu. Cor tuum sit mihi caverna maceræ, in qua securè habitet anima mea, foramen petrae me sustentantis. Ad peccatorum emen-

*Quæres quid agendum in examine emendationem, ad compensationem corundem, omnemq; vitæ perfectionem cum gratia tua, paratum cor meum Deus, paratum cor meum! Deus propitius esto mihi peccatori. Amen. Concluditur oratione Dominicâ ex præscripto S. P. N. in Lib. Exercit.*

### QUÆRES

*Quid agendum, si quid temporis in Examine superfit?*

**R**esp. Si nihil peculiare, illo die expiandum aut corrigendum occurrat. 1. Occupa te in gratiarum actione pro beneficiis, etiam personalibus. 2. Elice magnos actus contritionis, de peccatis antea actis, non secus ac si in præsentis, magnis peccatis fores obnoxius. 3. Dispice, num aliquam eo die graviores commotionem à passione aliqua, aut tentatione passus his: nam passionibus refræmandæ ne valde mentem perturbent, imò etiam illæ, quæ non valde perturbant. 4. Examina successum meditationis, si id manè, præstare nequiveris. 5. Renova propositum abstinendi à peccato, à quo in proxima exhomologesi cav-

ven-

*si quid temporis superfit?*

vendum statuisti. Tanta proposita incredibiliter ad animæ puritatem conferunt. 6. Vide, num quæ omiseris bona, vel obligationis, vel supererogationis. 7. Inquire, num quid ex consuetudine boni egeris, omisâ actuali oblatione, præsertim actiones adiphoras. 8. Considera, utrum commiseris rem aliquam materialiter malam, & talem, quæ si deliberatio adfuisset, evasisset peccatum, v. g. motus primi, verba cholericæ, agitatio manuum inconsiderata. 9. Inquirere poteris in radicem peccatorum, deliberare de mediis; aliàs expende, an hoc tempore sis melior præterito, & an elegeris id quod perfectius est. In vitiis & perturbationibus, omnibusque virtutibus, nos ipsos sollicitè inquirere non desinamus, ubinam simus, in medio vel in fine, ait S. Joannes Climacus. Gradu 26.



ME

# MEDIO XI.

## Prandium.

### §. I.

#### AGENDA ANTE PRANDIUM.

I. **A**Udito signo, mox ex obedientia ad mensam perge absque cunctatione, ne inter ultimos adrepas, aliósq; expectare cogas. Et inter eundem dic: *Vado propter te, Pater cælestis, ad mensam, absq; mora, obedióq; voci tuae mihi campana indicata.* Ibidem sobriè, mundè & decenter cibum potúmq; sumam, cum silentio, sine aviditate, sine oculorum curiositate, sine desiderio ciborum meliorum, appositis bene contentus: imò in quopiam genium fraudabo, & lectione piã mentem pascam, ad eam inflammandam in majus obsequium & gloriam tuam.

II. *Benedictio mensæ attentè, piè tardè recitanda, sive mensæ benedicas, sive respondeas, nec versum incipias, priusquam ultimam benedicientis, aut respondentium syllabam perceperis, ut jussit Anno 1620.*  
*P. Mutius Visselleschus.*

III.



III. Dum conte disti, priusquam mappulam explices, cum Jobo, antequam comedas suspira & intentionem renova, dicendo: *Mi Jesu*, quot micæ comedo, quot guttas bibo, toties te ex animo laudo & benedico: vel, quidquid sanguinis ex hac refectioe acquiri, amore tui profundere desidero. *Dum mappula explicatur, ad socium, utrimq; assidentem attende, num quid desit.*

## §. II.

## Observanda sub prandio.

**Q**ua observanda sint in refectioe corporis, accurate præscripsit S. P. Ignatius in regulis de victu rectè temperando. *Secundum has*

I. Observa modum à S. P. præscriptum. *Reg. 7. Ne animus quodammodo totus super cibum effundatur, & ne avidè vescamur & festinè, sed appetitui semper dominantes. Non te effundus super omnem escã. Eccli. 37. Sub te erit appetitus tuus & tu dominaberis illius. Gen. 4.*

II. Attende, ne excedas in qualitate nimis delicata, & statum tuum pauperem

excedentia apperendo. Sed cibus communibus contentus esto. *Vide Reg. 1. 2. & 3. De Vict. temp.*

III. Potissimum attende, ne excessum committas in quantitate, ne corpus gravetur, animusq; ad preces, studia, aliãque munia hebetetur. Christus monet: *Attendite ne fortè graventur corda vestra. Luc. 21.* Hæc ferè scaturigo morborum. *In multis enim escis erit infirmitas. Et propter crapulam multi obierunt, qui autem abstinens est, adjiciet vitam. Eccli. 37.* Ne igitur ad plenam satietatem te farcias; sed cum quodam adhuc appetitu susgas. Quod facile erit, si cum S. Augustino, ad alimenta, tanquam ad medicamenta accedas, de quibus nemo prudens plus sumit, quàm proficit.

Pro discernenda autem mensura S. Augustinus L. de Moribus Eccl. c. 21. Regulam assignat, ut usurpemus. *Quantum ad vitam hujus atq; officiorum necessitatem satis est. P. Lesius L. 4. de Temper. c. 1.* Docet à S. Augustino aliisq; Patribus, per necessitatem intelligi quoque utilitatem & convenientiam, Sumenda, igitur, ut ait

legitur 3. p. Const. c. 1. §. 5. Qua etiam S. Fundator noster utebatur initio, & ut refert P. Schwertfer, erat hujusmodi.

Nos, & ea, quæ sumus sumpturi, benedicat Deus trinus & unus Pater, & Filius & Spiritus Sanctus. Pater noster— *Gratiarum actio*. Laus Deo, pax vivis, requies defunctis. Tu autem Domine miserere nobis. Beata viscera Mariæ Virginis & c. *Pater noster*.

## §. IV.

## Consilia &amp; Exempla Temperantix, &amp; mortificationis Gulæ.

**P**rimum Religioso certamen ineundum contra Gastrimargiam, ut docent SS. PP. & Cassianus L. 5. *Instit. c. 5.*

I. Primo igitur contentus esto communibus cibis, nullum alium petendo, vel admittendo, nisi certa infirmitas iudicio medici & Superiorum aliud exigat. S. Ignatius mensæ Ministrum graviter punivit, quod sibi præ cæteris uvæ racemum attulisset. *Maffæus L. 3. c. 12.*

II. Si Portio tibi feratur, vel nimis parva, vel gustui tuo non arridens, ne aliam petas

petas. De hoc plurimum gaudeat, si viliora ei quàm aliis apponantur. S. Bernardus sic implebis *Reg. 25. summarii.*

III. Nullam profus rem, non ad te sed ad alium spectantem, in mensa attingas: quia voto paupertatis repugnat.

IV. Nunquam conqueraris de substantia aut qualitate ciborum; id enim signum foret, exiguæ mortificationis. S. Ignatius, & S. Borgias, per incuriam malè cocta & amara, comedebant sine querela.

V. Si cibus non sit sufficienter sale conditus, sale ne apponas, præterquam in iis cibis, ad quos communiter ab omnibus adhiberi solet, ut sunt ova, raphanus. Docuit hoc S. Vincentius, hoc faciendum propter Christum felle potatum. Noster *Alphonsus Rodriguez* 30. annis sale non comedit, ut refertur in processu Canonizationis.

VI. Similiter acetum, majoris gustus percipiendi gratiâ non adhibeas, exceptis iis, quæ ex communi hominum more, abque aceto non eduntur, ut lactuca & similia. Præstitit hoc *P. Thomas Sanchez*.

VII. Panem sine delectu comedas. qui-  
cunq;

**L**ectius, *Regula Temporantia ex fine, ob quam illa usurpantur*: hic autem est bona corporis valetudo, & mentis ad suas functiones idonea dispositio. Ob hanc enim causam, & non ob aliam, & quatenus ad hunc finem expedit, bibendum & edendum, non amplius, non alio modo, nec etiam minus, nisi finis altior intendatur, v. g. satisfactio pro peccatis. Itaque qui plus bibit aut edit, aut sæpius, aut alio modo, aut res alias, quàm congruit valetudini & mentis functionibus, non servat temporantia regulam.

V. His theoreticè dilucidatis, restat difficultas in praxi reperiendę mensurę, & quantitatis debitę: pro qua superanda, suggerit S. P. noster bina, eaque efficacia media. *1. num in Reg. 4.* Quantò plus quis initio, detraxerit de conveniente victu, tantò faciliùs reperitur justam mensuram. *2. dum in Reg. 8.* Ut ante prandiũ cum nulla esuries sentitur prævia deliberatione mensuram definiamus certam. Lege sæpius has regulas & in praxin redige, sic nunquam à gulę vitio, ad eò bestiali superaberis,

## Præstanda sumpto prandio.

I. **S**ub recitatione Sanctorum ex Martyrologio Deum in Sanctis mirabilem suspice, lauda, magnifica Sanctis verò gratulare, eis te commenda, & imitari desiderata, similémque coronam exopta.

II. Si defectus aliquis commissus, mox dole, veniam pete, emendationem propone. Nunquam de cibo vel potu conquerere; nunquam lautiora magnopere extolle: hæc enim Religiosum Societatis carni & mundo mortuum, atq; ad epulas cœlestes anhelantem dedecent.

III. Dei profusam in te liberalitatem, paternamq; providentiam agnoscens, cum intima devotione & fervore gratias age, exemplo S. Ignatii, qui licet aliàs colore subfusco erat, tamen cum mensæ benediceret; aut gratias ageret, totus vultu succensus, igneam colorem præferbat.

V. Licet ordinariè ante & post mensam utamur Breviarii Romani precum formula: In secunda tamen mensa, antiqua benedictio servari poterit, si placuerit, ut legi-

cunq; obtigerit, mollem duro non anteponendo, nec contra, neque ita scindas ut solas crustas, nec è contra tantum mollia sumas. Exemplo *P. Balth. Alvarez* qui deteriorem sibi sumebat, meliorem apponebat proximè affidenti.

VIII. Extra ordinaria refectiois tempora, etiam cum facultate nec comedas nec bibas; nec os siccum aqua abluendo humectes. Hoc *S. Carolus Borromæus*, quendam è suis docuit. *L. 8. vitæ c. 20. S. Philippus Neri* dicebat, *neminem fore virum spiritualem, qui extra tempora prandii & cæna ederet, aut biberet.* Idem præscripsere suis. *S. Aug. & S. Benedictus.*

IX. Diebus solemnioribus, cum plura dantur cibaria quàm tria, accepta licentia, à quarto abstinere poteris. *S. Agnes, S. Brigittam* docuit: *Abstinentiam in medio ciborum non gustatorum, esse quandam Martyrii speciem.*

X. Ex quotidianis cibus, absq; licentia etiam, potes bolum unum, magis arridentem, relinquere, exemplo *Joannis Bergmanni.* In vita p. 32. & *P. Balthafaris Alvarez*, assententis: *Optimum bolum decet*

*Deo*

*Deo relinquere.* Quod & *P. Colnago, Romæ Concionator* sæpissimè sæcularibus in concione inculcabat.

XI. Cum venia Superioris, potes amara aliqua herba occultè cibo admixta, eum insipidum reddere, exemplo *P. Colnago & S. Francisci. B. Clara de Monte falco* aquam cibus affundebat p. 1. vitæ c. 7.

XII. Potes cum venia Superiorum, à quibusdam delicatioribus cibus, sine quibus vita citra ullum incommodum sustentari potest, perpetuo abstinere. *S. Ignatius* etiam senex & infirmus, pullos & alia quæ in deliciis sunt, non admittebat, etiam hospitibus præsentibus. *L. 1. vita cap. 5. P. P. Colnago* abstinuit ab esu ficuum perpetuo, ad quas ejus natura vehementissimè ferebatur. *P. Alvarez* cibum optimè sapientem mox removebat.

XIII. Nunquam dulciaria in cubiculo asserves, nisi manifesta necessitas urgeat. Præluxit *P. Thomas Sanchez* qui ea ab amicis submissa, mox *P. Ministro* pro infirmis tribuit.

XIV. Si quid in mensa tibi defuerit, ne petas, erit hæc materia cœlestis lucri.

Exem-

Exemplo P. Thoma Sanchez & P. Alva-  
rez.

XV. In potu vel maximè excessus vitandus. Imitandi veteres Christiani, de quibus Tertullianus. *Bibitur, quantum prœdictis est utile. Ita saturantur, ut qui meminerint, etiam per noctem sibi adorandum esse Deum.*

XVI. Vino non inordinatè, aut nimium deditus esto, nec tibi imaginare, dum sanus es, ejus necessitatem: Quid si enim mitterère in Indiam, aut ad alia loca catentia vino? *Vinum, ut docet S. Basilus Serm. de Inst. Mon. Neg, omnino respui debet, si quandoq; valetudinis causâ adhibendum sit; neg, studiosus nimis, si necessitas non sit, exquirendum.* Intuere S. Joannem Baptistam vinum & siceram totâ vita non bibentem aliòsque innumeros.

XVII. Etiam cibus vilibus & grossis, si ne aviditate & voluptatis desiderio vesca- ris, majorem enim nonnulli ex his, quam ex delicatioribus gustum percipiunt. *Non cibus sed appetitus in vitio est,* ait S. Gregor.

XVIII. Ita comedas, ut quamvis non deneges, quod corpori nutriendo sit necessa-

cessa-

cessarium, ne in laboribus pro Deo susceptis præ debilitate deficiat: omnem tamen famem non expleas, verùm ita à mensa discedas, ut absq; oneratione ventriculi, adhuc cibum capere posses. *Tu nostri Domine* (ajebat S. Pachomius DEO gratias agens) *quia ex quo suscepi hunc habitum, nunquam satiatus sum pane, aqua, vel quolibet creatura alia, quam fecisti.*

XIX. Etsi prædictæ mortificationes adhiberi queant, vitandus tamen est excessus, quo vita decurtetur: quamvis enim *Lessius, Azor, Vasquez,* aliq; graves Authores id licere doceant. Tamen qui Dei beneficio, experitur se bene vivere, rarò peccare, perfectiora eligere, desiderio salutis alienæ & gloriæ divinæ propagandæ ardere, illudque in oblatiis & ultrò quaesitis occasionibus ipso facto demonstrare, tali suadendum non est, ut vitam rerum necessariorum & commodarum subtractione abbreviet. Hinc S. Philippus Nerius ægrè tulit S. Carolum Borromæum exiguo cibo, extraordinariis & inauditis ferè aliis jejuniis, vitam sibi decurtasse, ad eò Dei Ecclesiæ necessariam.

H

XX.

XX. Suadeo itaq; Scholasticis nostris, ut ternas hæc Summarii regulas artificiose combinent. *1ma* est de continua in omnibus rebus, quoad fieri poterit, mortificatione. *Reg. 12. 2da.* Altera Novitiis, Magistrisq; novellis præcipue inculcanda. Scilicet corporis castigationem in abstinentiis immoderatam esse non debere, nihilq; sine Confestarii aut Superioris approbatione faciendum. *Reg. 48. 3tia* Deniq; moderatam tuendæ ad divinum obsequium valetudinis ac viriû corporis curam adhibendam esse *Reg. 46.* Juxta ipsiusmet Christi D. monitum S. Gertrudi datum. *L. 4. c. 23. Insin. Mibi quidem, inquit, ad hoc erat oblatum vinum myrrhatu cum felle mixtum, quo citius morerer, sed desiderium multa patiendi pro homine, retraxit me, ne biberem. Tu vero è diverso, in eodem amore, sume omnia necessaria & commoda, ut per ea in servitio meo diutius viva conserveris.*

## P R A X I S

Legendi super Mensam.

I. **S**I tempus ullo modo patiatur lectio-  
nem antè revide. *Juxta Reg. Præfekt.*  
*Leç.*

*Leç.* Sic leges accuratiùs & distinctiùs. Solertiores id agunt diebus festis aut Dominicis, aut aliis minùs impeditis.

II. Intentionem piam præmitte, cum desiderio pascendi cibo spirituali, cum corpus reficitur, amicos Dei & Fratres tuos, atque ut id cum fructu præstes, Angelos eorum Tutelares invoça.

III. Inter legendum observa Sena hæc adverbia *I. Lege tardè*: ne memoria multitudine rerum & volubilitate verborum obruatur. Cibis largus corpori præpropere ingestus, non bene digeritur; ita nec cibus animæ. *II. Lege distinctè*, omnia verba, & syllabas, præfertim ultimas, articulatè exprimendo, nullam absorbendo, omnèsq; sensus, secundum commata & puncta bene distinguendo. *III. Lege clarè* & ita altè, ut ab omnibus etiam in sine triclinii accumbentibus omnia probè percipiantur. *Reg. 1. Præfekt. Leç. IV. Lege aquabiliter*, voce uniformi, non cantillando, non tonum elevando, aut deprimendo, est enim lectio, non concio, aut cantio. *V. Lege reverenter* S. Scripturam stando & aperto capite, sicut & Martyrologium. Nonnulli etiam

etiam; occurrentes inter legendum orationes, quibus Deum vel Sanctos alloquimur, aut rogamus, delecto capite legunt. Deniq; lege *libenter*: magni enim meriti est lectio, eoque; majoris, quod majoris difficultatis est plurium horarum doctioe fessis. P. Petrus Burgundus senex 72. Annorum in Collegio Trevirensi ordinarium mensæ lectorem agebat, ut Annuz testantur. Anno 1598.

IV. Si perperam lecta, pronuntiataq; repetere jubearis, id tanquam humilitatis & meriti ansam, promptè arripe, ac demissè, apertoque capite corrige. Exemplo P. Martini DelRio, qui post Theologiæ & Concionum Cathedras administratas, anagnosten agens, malè lecta ad arbitrium alterius promptè corrigebat. *Lancic. op. 8. L. 2. c. 4.* Si etiam, licet rectè pronunties, emendare jubearis (quod contingere nonnunquam potest, neq; enim Correctorem esse omniscium credas) proprio judicio ne pertinaciter inhæreas, nec sciolus haberi velis, sed ad alterius votum promptè eferas, duplicem hac occasione meriti coronam relaturus. Beatus Lantfrancus vir omni

omni literatura egregiè imbutus, cum in Cœnobio lectorem mensæ ageret, & ab Antistite illiterato, idq; contra Grammaticæ leges, lecta repetere juberetur, promptissimè paruit. Hos, aliosq; verè humiles imitare.

V. In prandio & Cœnâ legitur caput de Scriptura Sacra. *Reg. 5. Pref. Lect.* Quæ lectio non omittitur dum leguntur Annuz, ut rescripsit P. Claudius 1584. Sed omittitur in solemnioribus festis, quando leguntur Homiliæ PP. *Juxta Reg. 6.* Quæ Homiliæ non sunt legendæ per totam octavam, sed tantum ipso festo. Excipiuntur tamen, Natalis Domini, Pascha & Pentecoste, in quibus per plures dies legi possunt. *P. Oliverius. Vist. Prov. Rhen. Anno 1586. Et P. Claudius Anno 1604.*

V. De passione Domini legitur Dominicâ Judica caput 26. Matth. Die Lunæ & Martis cap. 27. Mercurii & Jovis cap. 14. Marci. Veneris & Sabbati cap. 15. Marci. Dominica Palmarum, Evangelium Palmarum. Lunæ cap. 22. Lucæ. Martis cap. 23. Lucæ. Mercurii cap. 18. Joanins. Die Jovis sancto c. 13. Joannis usque

que ad vers. 16. Die Veneris sancto caput S. Joan. 19. Sabbato sancto c. 28. Matthæi usq; ad vers. 8.

VII. In Scriptura sacra omittendæ Genealogiæ Judæorum & Catalogi Nominum, facta etiam, quæ species inhonestas ingerunt. Ex rescripto P. Claudii Anno 1587. & ordin. P. Oliverii, n. 29. In particulari autem

**E**X Libro Genesis omittendum cap. 5. totum. Cap. 9. versus 21. 22. 23. Cap. 10. totum. Cap. 11. à vers. 10. ad finem. Cap. 13. totum. Cap. 30. totum. Cap. 31. vers. 10. 11. 12. Cap. 34. totum. Cap. 36. & 38. totum. Cap. 39. à vers. 7. ad 19.

Leviticus totus omittitur.

Ex Libro Numerorum omittitur Cap. 1. 2. 3. 4. 25. 26. 33.

Ex Libro Josue Cap. 12. à vers. 7. ad finem omittitur. Cap. 15. à vers. 20. ad finem & cap. 16. 17. 18. 19. omittitur.

Judicum Caput 19. omittitur.

Ex Libro Ruth cap. 3. omittitur.

Ex Libro 2. Regum Cap. 11. à vers. 2. ad 6. omittitur. Cap. 13. ab initio usque ad

ad vers. 23. omittitur. Cap. 16. à vers. 21. omittitur.

Ex Libro 3. Regum cap. 1. non legitur usque ad vers. 5.

Ex Libro Paralipomenon 1. omittuntur 9. prima capita. Cap. 11. à vers. 26. ad finem. Cap. 23. 24. 25. 26. 27.

Ex Lib. 1. Esdræ Cap. 2. totum omittitur. Cap. 8. usque ad vers. 20. non legitur.

Ex Libro Judith Cap. 12. omittitur.

Ex Libro Esther omittuntur quæ ultimis capitibus diverso caractere inserta & asteriscis notata sunt.

Psalterium totum & Canticum Cantorum omittitur.

Ex Ezechiele cap. 16. & 23. omittitur, & cap. 41. cum seqq.

Ex Daniele cap. 13. omittitur.

Ex Osea cap. 1. 2. 3. omittitur,

Novum Testamentum totum legitur.

VIII. Martyrologium jam ex Decreto 47. Congr. 8. legitur in prandio. In vigiliis Sanctorum & Beatorum nostrorum eorum Nomina legenda ante alios Sanctos

Sanctos. P. Mutius 1625. Sed dies Canonizationis SS. PP. nostrorum post Martyrologium legitur. Idem P. Mutius 1633.

IX. Feria V. VI. & Sabbato sancto omittitur Martyrologium. Ita P. Mutius in German. 1628. Lectio vernacula inchoatur, seposita à plerisque; portione capitali. Singulis mensibus legitur Catalogus Missarum quæ dici debent quot mensibus & septimanis. Semel initio Anni indicatur legendum Sacrum pro Societate. Deinde quot mensibus Summarium & Regule communes cum Epistola de obedientia. Singulis annis Kalendis Martii legenda Bulla Alexandri VII. de denunciandis hæresi infectis. Et feria 6. post octavam assumpt. B. V. Bulla Urbani VIII. de observatione constitutionum ad S. Inquisitionem pertinentium.



HO-



HORA XI.

Relaxatio Animi.

§. I.

*De fine recreationis.*

I. **C**um à mensa statim studia resumere sanitati minimè conducatur, sapienter à societate quædam animi relaxatio instituta est, seu quies cum piè jucundo colloquio, amœnam animi remissionem præbens. Hujus finis est nova alacritas & vigor à laboribus mentis, & studia postmodum resumenda ad gloriam Dei. Deinde mutua inflammatio in spiritu, & fraternæ charitatis conservatio. Deniq; habitus colloquia spiritualia miscendi cum proximis. Hos fructus expertus est, præter alios, piissimus Joannis Bergmannus, qui è meridiano colloquio aiebat se novos spiritus colligere in reliquum spatium diei: vespertinâ autem colloquutione adjuvari, ad instituendam ardentius meditationem, communionemq; diei sequentis. Quare videri sibi divinitus instinctos fuisse Patres, qui in sextis Comitibus Generalibus, horæ illius geminæ remissionem, non levibus ra-

rationum machinis oppugnatam, constanter retinendam censuissent, quando tantus ex ea fructus existere sentiat. *In vita pag. 33.*

II. Cum P. Claudius Anno 1582. descripsisset Magistris non licere, abesse à recreatione sine expressâ venia: ab ea Scholasticus non se separet, nec eo tempore literis operam det: ex hoc enim studio morbos & mortem præmaturam enasci docet experientia. Accommodet ergò se uti in hoc, sic & in aliis communi Societatis consuetudini, Quidam in Provincia nostra Tironum Magister suadebat Novitiis cogitandum sæpius: Quid si omnes id agerent? quid si omnes è recreatione emanerent? cum loquendum, tacerent, cum tacendum loquerentur; quæ inde confusio & perturbatio sequeretur: *Est tempus loquendi, & est tempus tacendi*, ait Eccl. c. 3. Tantum laborandum ut piè, hilariterq; tempus illud transigamus. Ut vir ille sanctus è Societate: qui interrogatus, quid acturus esset, si finitâ recreatione moriendum sibi foret: Respondit, quod nunc ago, agerem, & ex obedientia animum piè relaxarem.

De medijs obtinendi linguam  
spiritualem.

1. **M**edium est solida rerum divinā-  
rum meditatio. 2. Multa Scriptu-  
ræ Sacræ, Interpretum, & asceticorum le-  
ctio. 3. Sedula ad conciones & lectiones  
mensæ attentio. 4. Crebra doni lingue spi-  
ritualis petitio. 5. Intimus amor rerū spiri-  
tualium. *Ex abundantia cordis os loquitur. Et  
hoc quisq; rutat, quod bibit.* 6. Continua  
exercitatio, fabricando fabri simus. 7. So-  
lers annotatio & præparatio ad pia collo-  
quia. Si enim Filii hujus sæculi adversaria  
conficiant, silyamq; rerum doctarum &  
curiosarum conquirant, ad facundè de re  
quavis mundana differendum: quidni Re-  
ligiosi, tanquam Filii lucis, illud imitentur  
in industriis Spiritûs & æternæ salutis, non  
ad vanitatem, sed Dei majorem gloriam?

Methodum hæc adversaria conficiendi  
lege in Aurisfodinâ P. Drexelii, qui ipse,  
quidquid audiebat in colloquiis, vel lege-  
bat in Libris, vel observabat in mensis,  
quod doctum, pium, rarumve esset, sedulò

an-

*De medijs obtinendi linguam spiritualem. 173*  
annotabat, eòq; libros suos, quos edebat,  
præclaros, mirificè locupletabat. Quod  
si Scholastici nostri imitarentur, quantam  
rerum rarissimarum copiam vel ex sola  
lectione super mensam, vel ex Librorum  
Spiritualium lectione conquirent, ad dis-  
cursus audientibus & colloquentibus lon-  
gè utilissimos? P. Martinus Stredonius  
duodecim fontes invenerat, è quibus juxta  
Monitum Eccli. 9. *Omnis enarratio ejus  
in præceptis altissimi scaturiebat. Vide vi-  
tam c. 9. P. Wenceslaus Schwertfer fon-  
tes colloquiorum 35. faciendos docet. In  
Diario. p. 2. v. g. 1. De Deo & Christo. 2.  
De Ecclesia. 3. De Conscientia. 4. De vi-  
tis Sanctorum. 5. De Novissimis. 6. De  
Memorabilibus locorum &c. P. Hiero-  
nymus Natalis catalogum contexuit ma-  
teriarum, de quibus in recreatione loqui  
possumus, approbatum à Congregatione  
6. & 7. Generali. Vide eum in Instru. 13.  
P. Claudii de renovatione Spiritûs.*

*Plura de recreatione in Horologio  
Sacerdotali.*

HQ.

## HORA XII.

## PRAXIS I.

*Orandi ad trinum campanæ pulsum.*

**A**D trinum campanæ pulsum, Divæ Virginis quotidie salutandæ institutum à Joanne XXII. Anno 1334. recitant multi, versiculos de passione Domini: Quos, uti & B. Aloysium imitari poteris, qui ut refertur in vita L. 2. cap. 3. Christi crucifixi memoriam quotidie refricabat, quadam brevi antiphona sub meridiem pronuntianda, tam liquido pietatis sensu, ut feriæ sextæ sanctioris hebdomadæ sanctitatem præ oculis habere videretur.

Ad primum itaq; pulsum recita: *Christus factus est pro nobis obediens usque ad mortem. Ad secundum, propter quod & Deus exaltavit illum, & donavit illi nomen, quod est super omne nomen. Ad tertium, ut in nomine Jesu omne genu flectatur, cælestium terrestrium & infernorum.* Post singulos pulsus interpone salutationem angelicam.

*Vers. Qui passus est pro nobis.*

*Re. Misereatur nostri.*

Oratio.

*Respice quesumus super hanc familiam tuam &c.*

Præ-

## PRAXIS II.

*Orandi Litanias B. M. V.*

**I.** NE ob varia in recreatione audita, ut fit, distraharis, in itu paulisper mentem collige, & B. Virginem à te invocandam cogita.

**II.** Recita has Litanias præmissa certâ intentione, v. g. pro flore Societatis, pro impetranda virtute aliqua aut perfeverantia. P. Leonardus Lessius quotidie Litanias Virgineas recitabat, ut in Societate perduraret.

**III.** Recita eas in præsentia Dei, prostratus coram SSS. Trinitate, & coram B. V. quasi titulis singulis eam alloquendo, & petendo, ut oret pro nobis, & hoc, quod intendimus, obtineat; idq; cum filiali fiducia, ob triplicem coronam ejus, Potentię, Sapientię & Bonitatis seu charitatis, quâ in cælo à Patre, Filio, & Spiritu Sancto coronatur.

## PRAXIS III.

*Fabricandi Horologium Passionis Domini.*

**I.** E Xemplo S. Borgiæ, P. Carraxiæ, Alphonfi Rodriquez & aliorum, in aliqua figura quadrata lincis ductis, in 18. ho-

ras

ras distincta, singulis horis unum mysterium adscribe. v.g. Hora 4<sup>ta</sup>. *Christus orat in horto.* Hora 5. *Sudat sanguinem.* 6. *Capitur.* 7. *In domo Anna alapa percuitur.* 8. *In domo Caipha blasphematur.* 9. *In domo Pilati silet.* 10. *In domo Herodis illuditur.* 11. *Barrabba postponitur.* 12. *Flagellatur.* 1. *Spinis coronatur.* 2. *Ad mortem condemnatur.* 3. *Crucifigitur.* 4. *Felle potatur.* 5. *Orat pro inimicis.* 6. *Moritur.* 7. *Lancea latus transfigitur.* 8. *De cruce deponitur.* 9. *Sepelitur.*

II. Nota hæc passionis Dominicæ mysteria, non respondere tempori, quo gesta sunt, sed memoriæ gratiæ, hoc ordine descripta esse.

III. Usus Horologii in eo consistit, ut cum S. Borgia, omni hora, v.g. ad horæ sonum, præscriptum mysterium in memoriam revoces & saltem unum affectum mysterio congruentem elicias. v.g. *Christus orat in horto*: orationem vel meditationem tuam cum ejus oratione conjunge. *Sudat sanguinem*: vel unicam ejus guttam tibi applicari postula. *Capitur, ligatur*: *Pete*, ut vincula peccatorum tuorum rumpat,

pat. *Alapam accipit*; pete ut ignoscat tibi, quod tibi alapas peccatis tuis inflixeris. *Silet*; pete silentium, & sic de reliquis. Ut hæc ratione paulatim totus tibi figatur in corde, qui pro te totus suffixus est in cruce.

#### PRAXIS IV.

*Fabricandi Horologium Sanctorum.*

I. **H**orologium Sanctorum Patronorum, in eadem figura quadratâ, de qua ante dictum, sed una linea intersectâ, describes. Ita ut singulis horis unus Patronus respondeat. v.g. Horæ 4<sup>te</sup> B. V. 5<sup>te</sup> S. Angelus C. 6. S. Joannes Baptista. 7. S. Josephus, &c. Ejusmodi Horologium sibi fabricaverat R. P. Mauritius de Büren, sed horam duodecimam, tanquam cor diei, Jesu, cui omnia debentur, consecrabat.

II. Usus hujus Horologii in eo situs est, ut omni hora, v.g. ad ejus sonum, designato sancto te commendes, gratiam petas horam istam sanctè pro æternitate seculi impendendi, vel gratiam vitia & peccata extirpandi, vel magnos in virtute progressus faciendi, & perfectionem adipiscendi. Aut quid simile.

Examinis particularis.

**M**ethodus Examinis particularis à S. P. Ignatio inventa, efficacissimum est ad vitia extirpanda, virtutesq; inserendas medium; modò accuratè & constanter adhibeatur. Vide Libellum Exercitiorum in quo accuratè describitur. Ego tantum pro declaratione, observationes nonnullas adjicio. Itaq;

Observe I. Additionem secundam à S. Patre præscriptam, de scribendis lineis & punctis, diligentissimè esse servandam. Nec sufficit notare puncta in aliquo chartæ frustulo, quod facillè amittitur, nec in pugillaribus, in quibus notata facillè delentur; sed conficiendus Libellus plurium foliorum, ut possit cognosci & conferri profectus unius hebdomadis, mensis, anni, cum aliis. Ejusmodi Libellum habuit S. Ignatius, sub cervicali ejus à morte repertus, in quo illo ipso die naturali, quo mortuus est, puncta aliquot, non lapsuum in defectus, sed omissionum actuum quorundam virtutis annotaverat. Ut testatur P. Lancic. Idem præstitit magnæ perfectionis Frater Joan-

nes Ortunius in vita P. Balth. Alvarez c. 30. usq; ad diem præcedentem ipsam mortem. Idem observavit P. Joannes Cannas fama sanctitatis celebris in Provincia Boetica, vitâ functus Anno 1596. qui 30 annis usque ad vitæ finem accuratè in Libello examen hoc signârat. Quod & de P. Gofwino Nickel Bibliotheca Scriptorum Societatis testatur. Horum diligentiam à Tirocinio inchoando, imitare.

Observe II. Quem ordinem in hoc examine studiorum tempore in Collegiis tenere debeas: Nam alii fuere in sæculo semper probi & innocentes, quemadmodum B. Aloysius & B. Stanislaus, liberi à frequenti lapsu in certa vitia. Vel licet fuerint valde imperfecti, & crebrò in peccata venialia lapsi; hæc tamen Tirocinii tempore per Examen particulare extirparunt. Et hi circa actus spontaneos virtutum, certis temporibus & horis, certo quotidie modo eliciendos, juxta Superiorum directionem, examen hoc instituire debent; & quod temporis partes vel horas sine actu vel pensò statuto prætermiserint, annotare.

Alii è Novitiatu ad Collegia veniunt, nondum extirpatis defectibus, in quos frequenter labeantur. Et hi 1<sup>mo</sup> non aggrediuntur simul plurium defectuum extirpationem; sed (ut vult S. Pater noster,) peccatum aut vitium particulare, à quo emendari cupiunt. Idem innuit S. Chryostomus hom. 28. in Joan. *Discamus, ut vitia nostra tempore corrigamus, hoc mense unum, alio aliud, & ita consequenter meliores efficiemur, & tanquam per gradus ascendentes, per scalam Jacob ad cælum pervenimus.* 2. Non quodvis vitium, sed illud prius extirpandum est, quod præ cæteris quis sibi infestum sentit. Ut docet idem S. Chryost. Hom. 11. in Gen. 3. Si quis pluribus vitiis infestetur, S. Chryostomus Hom. 76. ad pop. suadet vitiorum evulsionem à facillioribus exordiendam, quibus superatis, animus armandus ad id quod difficilius est. Et si quis pluribus æquè gravibus impetatur, prius invadendum illud, quod fons & radix est aliorum: qualia sunt vitia capitalia, gula, superbia, vana gloria &c.

Ob;

Observe III. Qui eradicatis in Novitiatu iis vitiis, quæ Tironibus cum sæcularibus sunt communia, ut sunt superbia, impatientia, pigritia, gula &c. frequenter transgredereatur varias regulas, quas tepidi parvi faciunt, tali non est statim assumendum examen particulare circa exercitium virtutū; sed si plures indies regulas transgreditur, faciat de illis omnibus examen particulare, quemadmodum, S. P. noster §. ultimo 1. hebdom. examen vult institui circa omnes additiones & exercitia. Atq; hoc ei utilissimum & planè necessarium est. Quod si verò, notabiliter frequentius unam transgredereatur regulam, quàm alias, de illa sola examen instituumdum erit, donec emendaret: v.g. de regula silentii, de custodia oculorum, modestia.

Observe IV. Postquam gratiæ divinz beneficio & examinis particularis auxilio, abnegasti frequentem lapsum in vita cum sæcularibus communia: ac præterea omnem prorsus regulæ cujusvis transgressionem, ita ut nunquam ullam voluntariè violes; tunc primum, & non antè, examen particulare, de exercitio virtutum instituas,

ut

ut indicat S. Chrysostomus hom. 19. ad pop. *Ne mihi dicas; majorem partem expediti (defectuum) sed nisi totum emendasti, nondum te quidquam fecisse puta.* Et S. Pater noster vult præcedere expulsionem vitiorum. Anima antè emundanda est ab his sordibus. *Unguenta vasi sordido quis credidit?* ait S. Gregorius Nazianzenus L. 1. sentent. *Ubi abominatio (peccatum) aboletur, sanctificatio congregatur; & egressus malitia, virtutis operatur ingressum,* ait idem Sanctus.

Animæ verò sic mundatæ, Deus paratissimus est dona sua infundere. *Quemadmodum parturiens cupit eniti fetum, ita & ille cupit effundere misericordiam suam,* ait S. Chrysostomus, orat. de B. Philogono. Atq; hæc ratio est, cur Religiosi nonnulli post plures años imperfectiores sint, quàm in Novitiatu; eò quòd scilicet, non attenderint ad diminutionem & expulsionem peccatorum venialium, quæ ut docet S. Thomas 3. p. q. 87. a. 1. *Sunt impedimenta profectus spiritualis.*

Observe V. Post debellata vitia, & acquisitam perfectam regularum antè ne-

gle-

glestarum observantiam, examen hoc primo loco faciendum est de *Regula* 17. Summarii: Ut singula opera ordinaria assuefcas actuali intentione (saltem in principio operis) & oblatione, purè propter Deum peragere: Primò enim bene perficienda sint, ad quæ obligamur ex regula, quàm alia supererrogativa. Ubi verò huic actuali oblationi assueveris, sequentes, hoc ordine, virtutes aggredere. 1. Elice multos actus internos pœnitentiæ, còsq; frequenta certis temporibus per diem, de quibus infrà. 2. Actus humilitatis. 3. Obedientiæ seu resignationis. 5. Patientiæ, & amoris ad verfariorum ac ad verfitatum, seu crucum.

Quinè hęc virtutes à S. P. N. *Regula* 16. vocatæ solidè sunt: sunt enim bases & fundamenta, in quibus si probè fundatus fueris, ad alias, etiam non servato ordine progredi poteris; quales sunt, renovatio votorù, recordatio passionis Dominicæ, multiplex Dei adoratio, præsentia Dei, gratiarum actio, auxilii divini imploratio, actus charitatis proximi & Dei, oblatio propositorum heroicorum & alii similes.

Ob-

184 *Universidat de O*  
*Bilbao*  
 Observa VI. Tempora in quibus hi actus exercendi, pro Scholasticis nostris destinanda sunt illa, quibus nec studendo, nec res immediatè ad studia pertinentes tractando distinentur; sed tempora aut spatia intermedia: v. g. dum itur ad mensam, ad portam, ad hortum, ad refectorium, templum, chorum, scholam: dum inceditur per plateas, ubi frequens est populus, & per regulam loqui non licet, ad sonum horologii &c.

*Ne verò Novitii & Scholastici certo numero actuum prescripto. eòq; valde magno, caput fatigent; satis est, in lineolis tot puncta notare, quot partes temporis, ex supradictis, transferint absq; ullo actu elicito.*

Observa VII. Actus illos virtutum duplici ratione elici posse. 1. Per modum longiusculæ considerationis, & hic modus Tironibus & Scholasticis, nondum dono insigni orationis instructis, haud accommodatus est. 2. *duo* verò modus faciliior atque utilior est, si hi virtutum actus brevissimè & ferventissimè eliciantur.

Quod duplici rursus methodo fieri potest. 1. Ut unus idemque actus sæpius

iisdem verbis repetatur. Sic P. Cerrutus Italus Romæ in Collegio Anno 1573. cum opinione sanctitatis mortuus, quotidie ter mille vicibus vota renovabat; gratiarum actiones ad numerum soli Deo notum pertinebant. Altera methodus est, ut hi actus alio & alio modo varientur. v. g. actus humilitatis: *Domine non sum dignus afficere altitudinem cæli. Domine non sum dignus calcare hoc pavimentum.* Atque hic modus in Spiritu & virtute magis provectis accommodatior est. Hi enim in virtutis & unionis cum Deo exercitio facilitatem experiuntur.

Quapropter regula hæc generalis esto, ut quisq; modo sibi faciliore & convenientiore utatur. Nemo serviliter caput adstringat: nemo coactam devotionum servitatem sibi imponat: hæ enim angustia & caput fatigant, & ferventiores piæ voluntatis affectus sufflaminant.

Observa VIII. Tempore lapsus, præter tunctionem pectoris in signum doloris, & præter contritionem, juxta additionem primam, eliciendam, plurimum confert actum defectui contrarium excitare: per

hujusmodi enim actus, & habitus virtutum augmentur; & pravi vitiolorum habitus, veluti limâ ferrum, atteruntur, & exstirpantur, ut Theologi docent. Juerit quoque magnopere, ob defectus crebriores, aut notabiliores, pœnitentiam nonnullam sibi imponere, ut major deinceps cautela adhibeatur, gratiâque nova impetretur. Equus recalcitrans calcaribus instigatur: asinus segnis fustibus propellitur.

Obserua IX. Quantum temporis uni vitio exstirpando aut uni virtuti per examen inserendæ tribuendum sit. 1. Quidam insignis Asceta ex alio ordine scribit: vix esse passionem tam potentem, quæ cum Dei auxilio, continuo orationis exercitio, & aliis mediis, intra annum superari non possit. Quod ergo erit iudicium ferendum de his, qui post plures annos adhuc valde vividi sunt in affectu honoris, æstimationis propriæ, aliarumque vanitatum & sensualitatum, nisi quod in hoc examine, aliisque mediis perquam negligentes extiterint? 2. S. Chrysostomus hom. 26. ad pop. pro exstirpanda jurandi consuetudine in concione unum mensem præscripsit. Et Hom.

24. in Epist. ad Hebr. Unicuique virtuti mensem tribuendum censuit. *Hoc mense, ait, patientiam discamus, alio aliam virtutem.* 3. Si verò mense uno vitium minimè exstirpatum sit, aut virtus nondum acquisita, pergendum est, donec virtus integrè possideatur; & vitium funditus eradicetur; ita ut ne semel quidem notabili tempore labi contingat: nam licet ad breve tempus non sentiantur inordinati pravorum habituum impetus; id indicium non est, nos iis carere, verum tunc conjectura erit, exstirpatos esse, si longo tempore, in frequentibus occasionibus & difficultibus, non erumpant. Finio hæc præclarâ S. Bernardi sententiâ Serm. 78. in Cant. *Credite mihi, vitia amputata repullulant, & effugata redeunt & reaccendantur extincta, & sopita denuò excitantur. Parum ergo est semel putasse, sæpe putandum est, imò si fieri potest, semper.*

## HORA I.

## INSTRUCTIO.

*De exercitiis corporalibus.*

I. **U**T exercitia corporis (quæ S. Pater noster omnibus communiter con-

venire iudicat, eò quòd & corpus & spiritum adjuvent) rite peragas, præmittenda est pia intentio, dicendo v. g. quoties manum movero, toties te Deum meum, amare, laudare & glorificare desidero. Possunt quoque plures intentiones conjungi, & motiva diversarum virtutum, humilitatis, obedientiæ, charitatis, zeli, pro conversione animarum, pro solatio fidelium defunctorum: sic Deo gratius opus erit.

II. Sub ipso labore, opere, itinere, pia aliqua consideratio, vel affectus elici potest. Ita P. Lancicius ad passus suos dicebat *propter te Domine*. Idem docet S. Bernardus: *sicut laborantibus manibus, oculus propterea non clauditur, nec auris abstinet auditu, ita multò melius, laborante corpore, mens quoque ipsa suo intenta sit operi, ut non vacet*. Egregiè id præstitit, B. Aloysius L. 2. vitæ. c. 7. Fratribus, tanquam Christo & Apostolis in triclinio serviens.

III. Exercitia hæc externa, cum magna modestia, diligentia, alacritate & accurate obsequia sunt. Sic hortatur S. Basil. de renunt. sæc. *assignato tibi ministerio, cum modestia fungitor, sedulitateq; perinde ac si*

Christi-

*Christo ipsi ministrares: maledictus enim, qui facit opus Dei negligenter*. Deniq; peracto opere labores & sudores, cū fatigationibus & laboribus Christi Deo Patri offerendi.

IV. Exercitationes hæc promptè subeundæ, quia sunt radices variarum virtutum.

1. Humilitatis. Hinc S. Bernardus inter 4. Humilitatis media ponit vilitatem operis. Et S. Bonaventura in spec. p. 2. cap. 6. *Quoniam inquit, ad humilitatem humiliatio via est, non erubescant Religiosi humilia, nec humilitatis officia respiciant*. 2. Obedientiæ. 3. Charitatis Dei & proximi ac misericordiæ corporalis, quales sunt ministeria in culina & refectorio. Item in horto fodere, serere, lolium eradicare, ut fructibus inde enatis servi Dei ad obsequium divinitù alantur. 4. Multorū meritorū sunt scaturigines. S. Fundator noster de quodam Fratris nostro Antonio nomine edixit: *Quot ponebat lateres in muro, quoties eos tunde- bat suo malleo, quoties calcem apponebat, tot sibi parabat coronas in cælo*. P. Balthasar Alvarez cap. 7. vitæ, agebat: *proximorum necessitates reputandas tanquam ditissimas aurifodinas, ex quibus anima propria dite-*

Univer
 sant. S. Arsenius rogatus in quo maximè  
 consideret, Respondit, *in eo, quòd homi-*  
*nes fugi, quòd tacui, quòd fleui, at in eo po-*  
*rissimum, quòd manibus laboravi.* Fratrum  
 nostorum quidam Simon opificio mura-  
 rius Italus à morte apparuit P. Petro Scar-  
 gæ Vilnensis Collegii Rectori totus splen-  
 didus, sed manibus longè splendidioribus,  
 cujus causam esse dixit labores in officio  
 suo propter Deum susceptos.

V. Exempla Sanctorù ad hæc exercitia  
 corporalia nos quoq; excitare possunt. 1.  
 Christi Domini, qui ut colligitur ex Matth.  
 13. v. 55. & Marci 6. v. 3. Artem fabri-  
 lem cum S. Josepho exercere dignatus est.  
 Fabrum lignarium fuisse asserunt Textus  
 Arabicus, S. Justinus, S. Chrysostomus, S.  
 Thomas, Abulensis, Lyranus, Maldona-  
 tus, Cornelius &c. Fabrum verò ferrariù  
 extitisse S. Hilarius, S. Ambrosius, S. An-  
 selmus & Beda sustinent. — B Virginem  
 laborasse Christus testatus est S. Brigitte  
 c. 23. regulæ. Laborarunt Apostoli, Pe-  
 trus, Joannes, Jacobus piscatoriam, S. Pau-  
 lus scenofactoriã artem exercentes. *Labo-*  
*ramus operantes manibus nostris.* 1. Cor. 4.

At-

Atque ut taceam S. Ludovicum Gallie  
 Regem, SS. Crispinum & Crispinianum,  
 S. Martinum, S. Malachiam, aliòsque in-  
 numeros sanctitate & dignitate illustres.  
 E Societate nostra S. F. Borgias vilissima  
 munia obire sibi honori duxit. L. 4. vitæ c.  
 1. Similiter B. Aloysius, Joannes Nunnus  
 Æthiopiæ Patriarcha, S. Xaverius, Fra-  
 ter noster Franciscus Cordubensis Ducis  
 Cardonæ Filius, non solum Novitius sed  
 & studiis invigilans vilissimis culinæ mi-  
 nisteriis delectabatur. In vita P. Alvarez c.  
 30. Idem præstitit R. P. Mauritius de Bü-  
 ren, Domus Geistanz, & Buranç Funda-  
 tor, coco humillimè serviens & artem li-  
 bros compingendi Treviris in Novitiatu  
 addiscens, qui Anno 1661. 7. Novembris  
 Geistz in eo, quo isthæc exaro, cubiculo,  
 relicto virtutum odore suavissimo, piissi-  
 mè decessit. *Ut habet vita m. f. L. 1. c. 5.*

VI. Imitare exempla hæc. Indies se oc-  
 casiones offerunt in triclinio, culina, cubi-  
 culo, tertio saltem quoque die scopis mun-  
 dando. Quod P. Claudius interpretatus  
 est esse faciendum, diebus alternis, non  
 numerando dies festos, nec vacationes in  
 Collegiis.

I 4

IN

INSTRUCTIO.

*De operibus pœnosis & mortificationibus externis.*

**I.** **I**Nter hæc pœnitentię opera, primum est, flagellatio seu, ut vocant, disciplina, quæ omnibus propè sanctis usitata fuit. S. Dominicus ter quotidie, uti & S. Pater noster Ignatius initio conversionis suę. S. Borgias horrendè, P. Colnago quot noctibus. P. Balthasar Alvarez manè & vesperi ultra horæ quadrantem in toto corpore à pedibus usq; ad caput, ita detornabat, ut Tirones Medinæ per exaggerationem dicere soliti sint, totum illud latus domus tremere. Tu ne fortè excedas, superioris voluntatem in his sequeris, & ordinariè, si debilior sis, spatium unius aut alterius, si robustior, trium, aut quinque salutationum Angelicarum non excedes.

II. Cilicium quoq; è pilis, seu sive equinis contextum, uti & catenulæ acutæ ple-risq; sanctis in usu fuere. P. Carrassa cilicio horrido utebatur, instar tunicę ad genua usque promissę. L. 2. c. 2. P. Colnago antequam suggestũ pro concione conscen-

deret, catena ferreis & aculeatis muricibus intextâ lumbos incingebat. L. 2. c. 29. Tu ex judicio superioris aut Patris Spiritualis cilicino scapulari, si robustior; aut si debilior, cingulo utere, aut catenula ferrea aut orichalcina, tum quia majorem hæc infligit dolorem, tum quia functiones mentis minùs impedit.

III. Usus lectuli durioris, plurimis quoque sanctis usitatus fuit. P. Colnago sæpe durâ cubabat humo, aut grandem crucem sibi in lecto, cui incumbere, substernebat. Tu, si vires ferant, Moderatores consule, num semel, iterumve in hebdomade in sacco stramineo, absq; lecto inferiore, cubare liceat: ita tamen, ut probè corpus contegas stragulis, præsertim in hieme. Aut si hoc denegetur, utere saltem lecto duriusculo, ut mortificationi continuæ etiam noctu studeas. Et ad cubationem molliorem nihil cæteris non dari solitum quæras, nec si quid exiguum defuerit, conqueraris.

IV. Muscarum, culicum, pulicũmque morsus tolerati genus sunt mortificationum tactui permolestum. P. Bernardinus

Realinus & Alphonsus Rodriquez à fronte vel facie non abigebant, licet sanguinem exurgerent. P. Lancicius cuidam propter hæc multis hebdomadis tolerata, admiranda heroicâq; virtutum dona concessa scribit, *multis annis frustra alias petita.*

V. Mortificatio non exigua est totam meditationis horam & examina peragere flexis humi genibus absque omni fulcro, more P. Realini etiam octogenarii, & P. Mauritiî de Bûren, licet gravi vinculo ferreo ob herniam incincti.

VI. In vestibus quoque mortificatio quædam & asperitas amplectenda. Qui mollibus vestiuntur in domibus Regum sunt. Itaque 1. utere, si offerantur, caligis panno nullo, relâve suffultis. 2. Utere tibialibus laneis communibus, absque interioribus lineis. 3. Indusia grossiora, vel lodices si quandoque offerantur, libenter acquiesce. B. Aloysius sibi hospiti, per oblivionem linteamina data non esse gavifus est. 4. Soccis lineis communibus assuesce, rejectis non vulgaribus. 5. Subuculam interioriorem communem gesta, absque ullo artificio factam, etsi tritam & resartam. 7. Cal-

Calceos porta ordinarios absque pretiosiore aluta non fibulis, sed ligulis coriaceis, more antiquo, religatos.

VII. Mortificationes quoque sunt. 1. Pruritus ex accenso sanguine oriri solitum, in manu, facie, brachio, non extinguere. 2. Inter decumbendum in lecto, vitare præsertim in æstate, ulnarum denudationem, tibiarum elevationem, sedum divaricationem, quæ sæcularibus delicatulis in more posita sunt. 3. Aliquid frigoris pati, dum non sat cito, vel non hypocaustum jubetur caleferi. 4. Diutius stando aliquam sibi molestiam creare. 5. Inter ambulandum asperioram & incommodiorem viam eligere. Finio has mortificationes, verbis hortatoriis S. P. N. in Exam. cap. 4 §. 46. *Majus ac impensius cuiusq; studium sit, quarere in Domino majorem sui abnegationem, & continuam in rebus omnibus, quoad poterit, mortificationem.*

---



---

## HORA II. & III.

### DOCTIO MAGISTRO RUM.

**D**E qua prolixè in Horologio Excitatorio, in Instruktionem pro Magistris, infra disseretur. HO-

HORA IV.

**M**atutinum & Laudes orandi praxim  
vide supra ad Horam sextam matu-  
rinam pag. 79. & c.

PRAXIS I.

Recitandi Rosarium B.M.V.

**P**raxi I. est, dum rosarium, cum myste-  
riis gaudiosis, dolorosis, vel gloriosis, se-  
cundum anni tempora recitas, in prima cu-  
jusvis decadis salutatione, mysterium illi  
respondens nonnihil mediteris.

*Praxis II.* Ut pro attentione conser-  
vanda, breve suspirium interponas v. g. ad  
particulam *nunc*; ut sanctè vivamus, & in  
*hora mortis* ut sanctè moriamur. Quæ pro  
libitu variari possunt.

*Praxis III.* Ut ad singula mysteria, quæ  
salutationi interferis, petas aliquam virtu-  
tem v. g. per sanguineum sudorem pete resi-  
gnationem; per flagellationem, pete ca-  
stitatem; per coronationem, humilitatem;  
&c.

*Praxis IV.* Patris Ludovici de Ponte  
est. Dicendo primam decadem, invocare  
novem choros Angelorum præcipuè S.

Ga-

*Praxis I. recitandi Rosarium B.M.V.* 197  
Gabrielem Custodem Virginis, & petere  
ut eam laudent, ac Deum, ob dona ei con-  
cessa: & gaudere, quòd Angeli eam gau-  
deant, & habeant pro Regina eccellente:  
& laudare eam ac confiteri quod in eam sint  
gratiæ novem Chorum Angelicorum  
cum magnis excessibus & gaudere de hac  
excellencia, Deumque laudare, qui illam de-  
dit, atque optare, ut totus mundus eam  
laudet ac cognoscat, idque à Patre æterno  
& ejus Filio petere. Denique petere ab hac  
Domina donum aliquod; quo maximè  
eges, vel quod in Angelis enituit, scilicet  
puritatem, ac illos rogare, ut id pro te po-  
stulent, & apud Deum omnes interce-  
dant.

Eodem modo in secundâ decade invo-  
candi Patriarchæ, Prophetæ, Reges, præ-  
sertim S. Joachim, S. Anna, S. Joseph, &  
facienda alia, quæ facta in prima decade. In  
tertia decade invocandi Apostoli & Disci-  
puli Domini, præsertim familiares Virgi-  
nis S. Joannes & S. Lucas. In 4<sup>ta</sup> Marty-  
res, In 5<sup>ta</sup> Confessores, Doctores, Reli-  
giosi. In 6<sup>ta</sup> Virgines, *Vidua & alia  
Sancta.*

PRA-

PRAXIS II.

*Recitandi brevem coronam.*

**I**N morbo, itinere, vel capite fatigato, aut ad meditandum minùs apto, accepta in manus coronâ precatoriâ & facto signo crucis, ad singula grana dic piè attentèq; brevem aliquem affectum seu suspirium v.g. 1. *Gloria Patri & Filio &c.* 2. *Laus tibi Christe.* 3. *Deus in adiutorium meum intende.* 4. *Domine exaudi orationem meam &c.* 5. *In manus tuas commendo spiritum meum, &c.*

Simili modo omnis generis virtutum actus exerceri possunt, vel per totius rosarii globulorum decursum eundem actû repetendo, vel in singulis decadibus diversum eliciendo: v.g. *Credo in te Deus meus, spero in te, amo te super omnia, refugio me tibi penitus. Fiat in me, de me, per me, circa me & circa omnia mea, tua sanctissima voluntas in tempore & æternitate.*

PRAXIS III.

*Precum jaculatoriarum, seu methodus ascendendi è creaturis ad Deum.*

Val-

**V**alde excelluit in hac arte S. Ignatius, teste Ribad. in vita L. 5. c. 1. eamque nostris optabat esse familiarissimam; ut scilicet è singulis rebus, Conditoris potentiam, sapientiam & bonitatem agnoscerent. Masæus L. 3. c. 1. *Tota mundi moles quasi liber est literis exaratus, deprædicans gloriam Dei,* ait S. Basilius. *Et ipsæ species Creaturarum voces sunt quedam Creatorem laudantium,* inquit S. Augustinus in psal. 26.

*Praxis I.* hujus ascensionis est S. Chrysostomi Ep. 5. ad Theod. *Ut ab experientia rerum tenuium accipiamus de magnis aliquid conjecturæ. Si quando in balneo fueris nimis effervescente, tum gehenna recordaberis. Si quando febre acriore conflagraveris; ad flammam que illic est, progredere.*

*Praxis II.* est S. Basili dicentis: *Panem estans Largitori gratias rependito, vinum bibens memento Largitoris, qui ad cordis latitiam & infirmorum solamen hoc impertivit. Tunicam indueris; gratias age benigno Authori. Dies abiit; gratias age illi, qui solem non merentibus indulsit.*

Præ-

*Praxis III.* S. Ignatii Fundatoris nostri, qui è plantulæ, frondis, floris, fructûs aut vermiculi aspectu super cœlos mox se at- tollebat, atq; in minimis Deum maximum agnoscebat. Simili ratione S. Franciscus Seraphicus ex omnibus creatis ascende- bat ad diligendum Deum, exultabat in cunctis operibus manuum ejus, contem- plabatur in pulchris pulcherrimum, in omnibus sibi scalam faciens ad apprehen- dendum Deum, qui est desiderabilis to- tus.

*Praxis IV.* R.P. Petri Fabri. *Si in iti- nere transeat, urbem, pagum, arcem nobilem.*  
 1. *Roga Deum per merita eorum qui ibi- dem ei placent, ut misereatur tui.* 2. *Gratias age pro beneficiis quæ Deus omnibus ibi- dem habitantibus præstitit.* 3. *Commenda eorum necessitates Deo.* 4. *Peccata illorum detestare, & veniam pete.* 5. *Si ibidem sint heretici, hæresin detestare, conversionem pete.* 6. *Animas illic defunctorum Deo com- menda.*

*Praxis V.* R.P. Nicolai Lancicii. *Vides aliquos colloquentes, propone servare silen- tium. Audis strepitum ventorum sevien- tium,*

*Instructio de visitat. venerab. Sacram. 201*  
*tium, ora pro Navigantibus. Audis in ta- berna bibentes, saltantes: Dole ob peccata eorum, pete à Deo ne inebrientur, & si fue- rint inebriati, ut citò confiteantur. Audis strepitum & negotiationes secularium gra- tias age Deo, quod te à vita seculari liberâ- rit. Audis pluvia strepitum, si est utilis eo tempore, gratias Deo age. Opta tot elicere actus fidei, spei, charitatis, quot gutta deci- dunt: simulq; gratia divina influxum po- stula.*

\*\*\*\*\*

## HORA V.

### Instructio de visitatione Venerabilis Sacramenti.

**I.** **L**audabilis consuetudo visitandi Chri- stum Dominum, præclarum inter alia medium est varia dona cœlestia & fa- miliaritatem cum Deo obtinendi: ut ex- perti sunt S. Thomas, S. Xaverius, S. Bor- gias, B. Aloysius, P. Alvarez, P. de Ponte, aliique innumeri, hinc fuere tam assidui in ea. Sunt enim contestationes honoris & ob- sequii Regi supremo debiti. Sunt officiosæ salutationes, quibus amorem nostrum er-

gasponsum animarum nostrarum dilectissimum contestamur. Sunt accessus ad Benefactorem munificentissimum, quibus favores obtinemus, & gratias pro iis referimus. Sunt aditus ad Thronum gratiæ, coram quo necessitates nostras proponimus: Cum ergo Christus Dominus tanto tempore nos expectet, adventum nostrum præstoletur avidè, quis venire renuat? Amantes libenter sunt simul.

*Praxis I.* In ipso accessu elice fidem, & exhibe summam quam potes, internam externamque reverentiam; & certum tibi finem propone, cujus gratia Christum Dominum tuum convenias. v.g. 1. Scopus esse potest, affectus gratiarum actionis pro beneficiis. 2. Affectus amoris, ut cum eo familiariter agas, & intima tua cum eo communices, & magis amore ejus inflammaveris. 3. Ut necessitatibus, tentationibus, dubiis, & perplexitatibus tuis remedium obtineas. 4. Ut infinito amoris Christi benedicti, non solum hoc Sacramentum instituenti, verum etiam tot sæculis in eo perduranti, aliquo modo respondeas, cum ejus *delicia* sint, esse cum *Filiis hominum*.

Fave

Fave has illi, præcipuè cum adeo pauci reperiantur, qui ejus affectui faciant satis. 4. Cum multi ipsum variis modis gravissimè offendant & inhonorent, tu saltem maxima quâ potes teneritudine & reverentia, tantas injurias vindica.

*Praxis II.* Accurre ad Christum Eucharisticum 1. Tanquam sitiens ad fontem. 2. Tanquam æger ad medicum. 3. Tanquam discipulus ad Magistrum. 4. Tanquam Filius ad Patrem. 5. Tanquam Sponsa ad Sponsum. 6. Tanquam reus ad alylum. 7. Tanquam mendicus ad inexhaustum thesaurum.

*Praxis III.* Ab Archiatro ac Thaumaturgo divino pete 1. Ut Chananæa micas. 2. Ut Hæmorrhøissa simbriam tange. 3. Ut Paralyticus sanitatem posce. 4. Ut leprosus mundari pete. 5. Ut Cæcus lumen postula. 6. Ut Dæmoniicus liberari flagita. 7. Ut spoliatus & vulneratus à latronibus, alligari & curari opta. Et manum medici Cœlestis thaumaturgam senties.

*Praxis IV.* Pro varietate, visitationes Eucharisticas, solennioribus festis accommoda. 1. In natalitiis, visita Christum ut na-

tum

204 *Instructio de visit. venerab. Sacram.*  
tum de Virgine; eiq; jam accine gloria cū  
Angelis; jam venerare eum cum Pastori-  
bus, jam munera offer cum Regibus, jam  
cum Simeone in ulnas accipe, & cū gaudio  
*Nunc dimittis*, accine 2. In Quadragesima  
Visita, modò orantem in deserto, & cum  
Angelis obsequia tua deser jejunanti, mo-  
dò apud Annam Caipham, Herodem, Pi-  
latum; flagellatum, coronatum, crucifi-  
xum, aspice, adora, venerare, vulnera oscu-  
lare, compatere, commorere. 3. Tempo-  
re paschali, Christi corpus gloriosum, ejus-  
que quatuor dotes admirare, diversis appa-  
ritionibus spiritu præsens interesto. Jam  
cum Thoma latus & loca clavorum re-  
verenter contrecta; jam cum Magdalena  
pedibus humiliter ad volvere. 4. Aliis tem-  
poribus, Deum Eucharisticum velut in  
rubo ardenti, vel in columna nubis, vel in  
sede majestatis iride circumfusa, intuere,  
ac venerare, vel ut Agnum supra montem  
stantem, cum 24. Senioribus, depositis  
coronis, adora. 5. Denique hæc tria nun-  
quam intermitte, 1. ut pro postrema com-  
munionem gratias agas. 2. Pro proximè se-  
quente gratiam petas. 3. In examine par-  
ticu-

*Praxis audiendi fructuosè exhortationem.* 205  
ticulari proficiendi gratiam postules. *Se-  
ptem alias praxes quare in Horologio Sa-  
cerdotali à pag. 410. ad 419.*

P R A X I S

*Audiendi fructuosè exhortationem.*

I. **F**AMem desideriumq; audiendi verbi  
Dei, Doctor mellifluus inter præ-  
destinationis & salutis signa numerat:  
*Qui ex Deo est, verba Dei audit.* Joan. 8.  
*Quemadmodum corporalis cibi appetitus  
indicium est bonæ valetudinis, ita desiderium  
Doctrinæ spiritualis, manifestissimum est  
argumentum animæ bene habentis,* ait S.  
Chrysostomus, hom. 22. in Gen. Hanc igitur  
in te orexin excita.

II. Inter eundem ad locum exhortatio-  
nis, desiderium ex ea proficiendi elice. In  
loco autem, dum flecitur, Spiritus S. gra-  
tiam ferventer implora, ut mentem tuam  
illuminet, voluntatem emolliat ac per-  
moveat: cum Samuele dicens: *Loquere  
Domine, quia audit servus tuus.* 1. Reg. 3.

III. Sub ipsa concione, diligenter at-  
tende, auditæque non aliis sed tibi applica:  
non subtilitatem conceptuum, non rarita-  
tem rerum, sed veritatem; non verborum  
etc.

206 *Praxis I. Orandi ad trinum &c.*  
elegantiam, sed spiritum require, persua-  
sissimum habens; Deum per os concio-  
nantis loqui. *Qui vos audit, me audit.* Lu-  
cæ 10.

IV. A concione, gratias Deo pro in-  
firmitate age, exemplo B. V. verba hæc  
in corde tuo conserva; pro viribus exequi  
statue, ac pro executione gratiam pete;  
certissimus, de omni exhortatione, ejusq;  
fructu exactam judici supremo reddend-  
am aliquando rationem. *Beati qui au-  
diunt verbum Dei & custodiunt illud.* Lucæ  
11. Itaq; *qua audistis, cogitare; qua man-  
ducastis ruminare, & sic eritis animalia  
munda,* inquit S. August. con. 1. in psal. 105.

\*\*\*\*\*

## HORA VI.

### PRAXIS I.

Orandi ad trinum campanæ  
pulsus.

I. **A**ngelus Domini nunciavit Maria  
& concepit de Spiritu Sancto. *Ave  
Maria.* Renova votum castitatis. II. *Ec-  
ce Ancilla Domini fiat mihi secundum ver-  
bum tuum. Ave Maria.* Renova votum  
ob.

*Praxis II. Legendi librum spiritualem.* 207  
obedientiæ III. *Et verbum caro factum  
est, & habitavit in nobis &c. Ave Maria.*  
Renova votum paupertatis.

Oratio.

*Gratiam tuam quesumus Domine, menti-  
bus nostris infunde, ut qui Angelo nuntian-  
te &c. S. Xaverius experiebatur frequenti  
votorum renovatione, mentis suæ, sicut  
aquilæ, juventutem renovari.* *Tursellinus.*  
*L. 1. vita c. 5.*

### PRAXIS II.

*Legendi Librum Spiritualem.*

**L**ibra soror & adjutrix orationis, est spi-  
ritualis animæ cibus & nutrimentum; est  
copiosa quædam vena divinarum inspira-  
tionum. Quid enim est Scriptura Sacra,  
ait S. Gregorius L. 4. *Nisi epistola quadam  
omnipotentis Dei ad Creaturam, qua arcana  
sua revelat, & divinam voluntatem suam  
aperit?* Idem senti de libris à viris Spiritu  
S. plenis conscriptis. Atque hinc dictum  
tibi crede, quod Apostolus suadet Timo-  
theo 1. Tim. 4. *Attende lectioni,* ut indies  
juxta regulam, mediam horulam, aut so-  
lidum saltem quadrantem eidem impen-  
das, observando sequentia. I.

I. Statuto tibi per Superiores tempore, siue mane, siue à meridie, siue vesperi, breviter gratiam pete cum fructu legendi, & intus audiendi, quid in te loquatur Dominus. Quemadmodum enim nos in oratione cum Deo loquimur, sic in lectione Deus loquitur nobiscum.

II. Lectio spiritualis non sit festina, ut historię leguntur, sed cum mora & quiete, ut illustrationi cœlesti locus relinquatur. Imitandæ gallinæ, quæ haustis aliquot aquæ guttis, mox caput in altum erigunt & in cœlum suspiciunt.

III. Libros sacros, ut monet S. Bernardus, eodem spiritu leges, quo sunt conscripti; non spiritu curiositatis & vanitatis, sed charitatis, non ut doctior evadas, magni æstimeris, aut spiritualis habearis, nec præcile; ut alios doceas, sed ut ipse perfectius amare, obedire, ac vivere discas.

IV. Accede ad legendum firmo quodam & ingenuo animi decreto, sequendi inspirationem Divini Spiritus, in re quacunq; quam ipse docuerit: sicut qui Epistolam Regis legeret, ut mox responderet, non verbis modo, sed ipso opere. Et  
sicut

sicut qui mensæ affidet, non, ut videat cibos, sed ut comedat, eos sibi incorporando. Propterea Ezech 3. & Apoc. 10. *Angelus non solum librum expandit, sed etiam iussit comedere librum.*

V. Non nimis multa uno eodemque tempore lege, multa enim lectio fatigat, neq; tam reficit, quàm obtundit animum: quemadmodum multa cibi, cum modica masticatione, ingestio nutritioni obest. Et in fine lectionis aliquas veritates selectas in archivio memoriæ repone; ut vel pro ruminacione interdiu serviant, igni devotionis fovendo.

VI. Elige autem, libros verè spirituales, non difficiles, non nimis subtilis, non qui curiosè pascant intellectum, sed qui piè inflamment affectum, atq; ad nostrum Institutum sunt accommodati, quales sunt Libri, quos scripsere Pater de Ponte, Carrassa, Lessius, Lancicius, Bellarminus, Jacobus Alvarez, Rodericius, Gaudier, Drexelius, Rosignolius, Crombecius, Nierenbergius, Saint Jure & alii. Quibus accedunt varię vitæ nostrorum sanctitate illustrium. Elige, si tibi id permittatur, tales,

quales optares te elegisse & legisse in hora mortis, & in extremo iudicio.

VII. Deniq; lectionem claude cū gratiarum actione pro instructione & lumine; ac pro lectorū executione gratiam exposce.

\* \* \* \* \*

## MEDIO VII.

### COENA.

**P**RO hac servient, dicta de prandio: nisi quod hæc moderatior sit & frugalior prandio, ut manè alacrior sis, in surgendo, & ad meditandum aptior.

### HORA VII.

Recreatio, ut ad meridiem hora XI.

### HORA VIII.

#### *Litania de omnibus Sanctis.*

**I.** **E**St in Societate vetusta piæque consuetudo Litanias hæc recitandi, ut habetur Congr. 9. Dec. 7. Quam ut rite observes, sequentia juvabunt. 1. Animum in recreatione aliquantum distractum, in itinere collige. 2. Genua flectens, simul mente prosterne te coram SSS. Trinitate, innumera Angelorum & Sanctorum multitudine, in regno cœlesti circumdata, & eandem

dem sub initium Litaniarum supplex adora ac misericordiam implora. 3. Tum à B. V. incipiendo, per ordinem, quasi supplicatum ires, Sanctos in cœlo circumeundo, invoca, & eorum patrocinia exposce, intento in singulos animo. 4. Sub Litaniarum finem varia pro te, pro Ecclesia militante, aliisque postula per Christi, B. V. & Sanctorum merita. 5. In varios quoque fines hæc Litaniarum recitatio dirigi potest. v.g. pro conversione Chinæ, Japoniæ, Septentrionis. P. Lessius eas offerebat pro conversione Angliæ. Bibl. Script. Societatis.

II. Finitis, circa primum quadrantem, litanis examen particulare, exactè institue, & annota accuratè, juxta praxin hora 12. indicatam; quod sub examine generali, præsertim in hyeme, non bene fieri potest, ob defectū luminis. Et sequente quadrante (quem Canonicum vocamus) nulli alteri rei aut studio te da, sed materiã meditationis pro die sequenti, lege, puncta obiter memoriæ manda, aliquantulū rumina, affectus prævide ac quodammodo dispone, & si quid temporis superfit Librum Spiritualem, aut de imitatione Christi lege.

*Medio IX. Examen generale.* Exa-

Examen generale vespertinum.

PUNCTUM I.

**O**mnipotens sempiternae Deus, gratias tibi, quas postum maximas ago 1. Quia ex aeternitate vidisti & dilexisti me, & (ut de tua infinita misericordia spero) me ad gloriam tuam efficaciter elegisti; & per convenientia media ad eam praedestinasti. 2. Quia per Creationem, me ex nihilo condidisti, ad imaginem & similitudinem tuam fecisti, & innumeris donis tuis, in animam & corpore dotasti. 3. Quia me & omnia propter me, tam longa duratione conservas, sine cujus actuali concursu, statim in nihilum redigeremur, nec possemus uno momento subsistere. 4. Quia me & omnia propter me gubernas, ac regis, & quae ad me pertinent, efficacissimam & suavissimam providentiam disponis. 5. Quia me pretiosissimo vulnerum tuorum sanguine redemisti, & per merita ac passionem tuam a servitute diaboli liberaisti. 6. Quia te mihi in Doctorem, in Medicum, in Patrem, ac in exemplum sanctae vitae dedisti. 7. Quia me cum paucis respectu multorum, ad Ecclesiam tuam, & ad veram legis Evangelicae professionem, & ad tui cognitionem & obsequium vocasti. 8. Quia cum paucissimis ad statum religiosum, & ad hunc amabilissimum, quem profiteor, misericorditer adduxisti. 9. Quia Sacramentis, inspirationibus, Sanctorum exemplis, spiritualibus libris, & aliis plurimis mediis ad bonam vitam adjuvisti & adjuvare non cessas. 10. Quia ex misero statu inimici (ut de tua benignitate confido) ad dignitatem amici pro vexisti, & per gratiam, gratum facientem iustificasti. II. Quia me ab innumerabilibus periculis

Universitatis  
Bolognae



Dum tempus habemus operemur bonum. II. Galat.

perdidi gratiam liberaſti, & liberare non deſinis. 12. Quia plurimis donis tum internis, tum externis, tum naturæ, tum gratiæ ditatiſti. 13. Quia mihi (ut ſpero) ab æterno, certum, ſecundum tuam prædeſtinationem; gradum gloriæ efficaciter præparaſti. 14. Quia me hodie ad orationem & tui alloquium admiſiſti, Sacrameno corporis & ſanguinis tui cibatiſti, & in tuo obſequio continuiſti. 15. Quia me aliis infinitis beneficiis affectiſti, & afficere non ceſſas ac poſtea per totam æternitatem afficies. Pro tot igitur ac tantis beneficiis tuis, optime ac maxime Deus, gratias immenſas ago, & in æternum agere, teque laudare ac glorificari deſidero. Atque in gratiarum actionem, me & omnia mea, unâ cum Filii tui, Beatiffimæ Virginis & omnium Sanctorum meritis, ex animo, offero.

## PUNCTUM II.

**P**ravum eſt cor hominis & inſcrutabile, quis cognoscet illud? Non alius, niſi tu Domine Deus meus, qui didixiſti: *Ego Dominus ſerutans corda, & probans renes. Jerem. 17.* Quare tu Domine liberaliſſime, his omnibus beneficiis, nunc, aliud, adjuuge, ut lucem eſſe ſede ſancta tua ad me mittas, & abundantem gratiam tribuas, quâ poſſim mea peccata, imperfectiones & ingratitudines cognoscere, & eorum, quæ adverſus Majeſtatem tuam commiſi, ad ſterum & debitam poenitudinem recordari.

## PUNCTUM III.

**P**ræmiſſis duobus hiſce punctis, quæ ſunt velut præludia ipſum examen aggredere, & ſingulas dici horas, & negotia percurrere, hæc quinque in examinis ſtatera appende ſcilicet, cogitatione

tionem, affectus, ſermones, opera & omiſſiones. Quæ præclare ob oculos ponit & enumerat Thomas de Kempis de imit. Chriſti L. 4. cap. 7. & de diſcipl. clauſtr. L. 2. c. 10. Quæ nonnunquam expendi poſſunt.

## PUNCTUM IV.

**A**gnitis peccatis, vel peccato veniali etiam unico, dolorem quam ſerventiſſimè elice, exemplo SS. Catharinæ Senenſis, Ludgardis, Mariæ Ogniacenſis, Thereſiæ, aliorumq. Sanctorum, qui peccata venialia deſebant, non ſecus ac graviſſimi peccatores & latrones primum converſi, atrociniæ & ſcleria ſua immânia deſtantur. Igitur ex ſequentibus motivis, nunc hoc, nunc illud, non tam obiter lege, quàm, expende, ut magis ad contritionem intimam permoveraris.

I. Domine Deus magne & terribilis, Deus æterne, immenſe, infinite, in quo omnes omnium rerum creaturarum perfectiones inveniantur cum eminentiâ infinita. Ecce ego miſer & cœcus hominatio, rem vilem & abjectam tuæ infinite excellentiæ & majeſtati prætuli, dum ejus amore te offendi. O quam doleo quod te ſummum bonum meum offenderim! Quis dabit capiti meo aquam, & oculis meis fontem lacrymarum, ut cœcitatem & malitiam meam, amare deſeam? ac hodiernam, totiusque vitæ meæ ingratitudinem deplorem?

II. Clementiſſime Deus, peccata mea, quæ hodie commiſi, non ſolum infinite majeſtati tuæ adverſantur, verum etiam omnibus tuis perfectionibus, ſcilicet, Bonitati, Potentiæ, Sapientiæ, Juſtitæ, Liberalitati, immenſitati, aliſq; ita contra-

ria sunt, ut illis, debitam singulis perfectionibus gloriam, honorem & amorem detraxerim, eas quodammodo pro nihilo habuerim, ac proinde easdem contra me provocaverim. O quam doleo mi Deus, quod sic te offenderim! utinam oculi mei educerent exitus aquarum!

*III. Alias in particulari hæc attributa, aut unū ex eis expende, v.g. Deus qui per immensitatem mihi præsens erat, omnia clarè cernebat, & ego hoc non obstante ausus fui peccare! item Deus infinito me complectitur amore, & ego non redamo, rem inanem & vanam ejus amoni præfero! Simili ratione alias expendi possunt tituli, Creatoris, Redemptoris, Gubernatoris, Sanctificatoris, Illuminatoris, Regis, Patris, Sponsi, Amici &c. uti & quinquena beneficia, primo puncto examinis recensita.*

PUNCTUM V.

**O** Domine misericors & longanimis! tantam beneficentiam tuorum multitudinem & magnitudinem, cum tanto peccatorum & imperfectionum mea um numero componens, totus quidem erubescō & pudore suffundor: verum tamen fiduciam & veniæ spem non abjicio: imò ex eo ipso, quod animam meam tot imperfectionibus & peccatis sordere videam, & tamen Benignitatem & Longanimitatem tuam, tot annis mecum distulasse, & mihi plus quàm septuagies septies, imò plus quàm millies ignovisse cognoscam; in spem erigor, quod nunquam à te sim abjiciendus; sed quotiescunq; ad te venero, & cum vero dolore, ac serio emendationis proposito, veniam postulavero, non aliter ac Filius à Patre amantissimo sim recipien-

piendus. Eà itaque spe roboratus, denudè senio propono, me commissa peccata emendaturum, idq; firmiter, ut nulla vel humanæ, quantacunque felicitatis, vel propriæ mortis conditione propostâ, ullam unquam, licet venialem culpam, admittere decernam. O Spiritus Sancte, Spiritus fortitudinis, qui fragilitatem meam nosti, conforta me, & septenis donis tuis ita me corrobora, ut gratia tua nunquam excidam. Amen.

*Deniq; pro quotidianis defectibus, aliquam tibi, quam statim exsolvas, poenitentiam injungas, ut si aliquem tibi dolorem infingeres, aut preculam aliquam recitares. Quando autem culpa aut defectus gravior occurrerit, non sufficit eum communi poenâ multare, sed extraordinariâ reprehensione & condignâ castigatione punire convenit. Deniq; terminatur examen, oratione Dominica. P. Jac. Alvarez tom. 2. lib. 3. c. 9.*

P R A X I S

Deo, Divisq; sub noctem se piè commendandi.  
I. AD DEUM PATREM.

**M**ANE nobiscum Domine quoniam advesperascit, custodi me ut pupillam oculi tui, & sub umbra alarum tuarum protege me, ne unquam obdormiam in morte & gratiâ tua excidam. Salva nos Domine vigilantes, custodi nos dormientes, ut vigilemus cum Christo & requiescamus in pace.

II. AD CHRISTUM DOMINUM.

**I**N vulnera tua, mi Jesu, me meos & omnia mea commendo. Quidquid hodie à me & toto orbe terrarum factum est boni & hac nocte fiet, millies auge re exopto. Quidquid hodie peractum est mali & hac nocte fiet, vel sanguinis profusione impedi-

pedire desidero. Tibi vigilo mi Jesu, tibi dormio, tibi vivo, tibi morior.

### III. AD SPIRITUM SANCTUM.

**O** Spiritus sanctissime! omnia noctu na phantasmata, somnia & vitiolorum initamenta, contra voluntatem meam esse ac fore protestor: dignare sub alas protectionis tuae suscipere, ut in te securè vivere, in te centro cordis mei requiescere valeam.

### IV. AD BEATISSIMAM VIRGINEM.

**P**ermitte, obsecro, Mater amantissima, sub pallii tui caelestis umbra & protectione securè quiescere, Deumque meum, etiam dormiendo secundum voluntatem ejus laudare. Maria Mater gratiae, Mater misericordiae, tu nos ab hoste protege & mortis horà suscipe!

### V. AD S. ANGELUM CUSTODEM.

**A**ngele mi Custos fidelissime, qui me dormiente vigilas, totaque nocte mihi assistere non dedignaris: advigila obsecro ad me, meos, totamque domum hanc, ac Daemonis insidias ab ea repelle, meo loco, assidue Deum lauda, & ad laudes ejus, eras statuto tempore resumendas me excitare dignare.

### VI. AD SS. PATRONOS.

**O** Sancti Patroni mei NN. me quiescentem protegite, viceque meas in laudando Domino Deo nostro supplete, misericordias ejus hac nocte & in aeternum cantantes. Impetrate mihi quoque gratiam, in gratia ejus semper vivendi & moriendi, ac gloria ejus aeternum perfruendi. Amē.

*Praxis pie incumbendi.*

I. **C**ubiculum ingressus te & lectum aqua lustra-

strali asperge, memor Dei & S. Angeli tui praesentis, vestes decemur exue, & si preces praedictae absolutae sint, psalmum miserere vel de profundis pro defunctis vel illa nocte expira urni recita.

II. Post haec ad lectum velut ad lectulum, ad summum velut ad fratrem mortuis te compara. **Le. Et ingressus, dic cum piissimo Joanne Bergmanno:** Ecce foras sis sepulchrum ingrediatur, vitæ incertus, nec crastinum certo mihi polliceri ausus.

III. Deinde revoca obiter in memoriam puncta crastinae meditationis, & horam quæ cras surgendum erit, juxta praescriptum S. P. N. in Lib. Exercit.

IV. Denique lateri dextero incumbens, involutis decenter indusio genibus, & decussatis ante pectus brachiis, somnum operire, dicens, *in pace in idipsum, dormiam & requiescam: In manus tuas Domine commendo spiritum meum, cum desiderio intimo toties te Deum meum cherubice laudandi, ac seraphice amandi, quoties per noctem corporis arteriae salient.*

F I N I S.

## INDEX HOROLOGII SCHOLASTICORUM.

Instructio praevia de perfectione operum p. 1.  
P R A X E S.

Religiosè surgendi. p. 33 Pie incumbendi p. 218

Per solvendi preces matutin. 26 Vespertinae. 217

Formandi intentionem. 44. Meditandi 52

Orandi ad trinum campanae pulsium

Mane 66. In meridie 174 Vespere 206

Audiendi de votè sacrum 68

*Index Horologii Scholasticorum.*

<i>Orandi ad horæ sonum</i>	75
<i>Recitandi officium</i>	79
<i>Peccata ritè confitendi</i>	88
<i>Exercendi actus fidei, spei, charitatù &amp;c.</i>	93
<i>Resistendi tentationibus</i>	99
<i>Præparandi se ad sacrum vel communionē</i>	107
<i>Communicandi vel sacrum celebrandi</i>	109
<i>Faciendi memento</i>	131
<i>Religiôsè studendi</i>	138
<i>Examinandi conscientiam</i>	142 & 213
<i>Religiôsè brandendi &amp; cœnandi</i>	151
<i>Legendi super mensam</i>	162
<i>Pic relaxandi animum</i>	170
<i>Litaniis B.M.V. recitandi</i>	175 omnium SS. 210
<i>Fabricandi Horologium passionis Domini</i>	175
<i>Horologium Sanctorum</i>	177
<i>Examini particularis</i>	178
<i>Exercitiorum Corporalium</i>	187
<i>Operum pœnarium</i>	192
<i>Recitandi Rosar. B.M.V. 196. Breve coronâ</i>	198
<i>Precum jaculatoriarum</i>	199
<i>Visitandi Venerabile Sacramentum</i>	201
<i>Audiendi fructuosè exhortationem</i>	205
<i>Legendi Librum spirituales</i>	207

*Errata correctâ.*

<i>Pag. lin. sic lege</i>	<i>Pag. lin. lege</i>
39. 19. <i>displientes</i>	101. 4. <i>excrementoriâ</i>
61. 3. <i>contemplatio- ne sed hujus</i>	110. 10. <i>Loricâ</i>
73. 16. <i>ablue</i>	111. 11. <i>Virgines</i>
76. 16. <i>distributis</i>	162. 9. <i>Confessarii</i>
84. 19. <i>allegoricos</i>	173. 20. <i>congregatione</i>
100. 18. <i>contrarius cu- rantur</i>	179. 4. <i>Betica.</i>
	181. 21. <i>Vitia</i>
	185. 8. <i>Superogatoria</i>





**HOROLOGIIUM  
EXCITATORIUM,**

*AUCTARII LOCO,*

**HOROLOGIO SCHO-  
LASTICORUM**

*Societatis JESU.*

*APPENSUM,*

**Variis consiliis, monitis,  
documentis cuilibet Scholastico-  
rum gradui in particulari  
accommodatis,**

*Eosdem*

**AD PERFECTIONEM RELIGIO-  
SAM EXCITANS ac DIRIGENS,  
FABRICATUM**

à

**R. P. JOANNE DIRCKINCK**  
*Soc. JESU.*

*ANNO M DC XCVI.*



**Cum Facultate Superiorum.**



Bonum est viro, cum  
portaverit jugum ab  
Adolescentia sua.

*Thren. 3. v. 27.*



✠ (o) ✠  
\*\*\*\*\*

PRÆFATIO  
Ad Scholasticos S. J.

**D**um vobis RR. PP. & CC. FF.  
Horologium omnibus commune  
concinnarem; plurima occurrerunt,  
quæ cuilibet Scholasticorum gradui per-  
quam utilia esse duxi; adeoque non præ-  
termittenda. Quare permotus exem-  
plo Patris nostri Claudii Aquavivæ,  
P. Hieronymi Natalis, P. Joannis  
Polanci, P. Nicolai Lancicii, qui Super-  
rioribus, Concionatoribus, aliisque Socie-  
tatis nostræ primariis membris præ-  
clarissima monita & documenta præ-  
scripserunt: ego quoque Scholasticis no-  
stris, quadam perfectionis Consilia &  
adminicula suggerere volui. Et qui-  
dem 1. Candidatis Societatis nostræ,  
qui Scholastici non sunt, nisi in spe, ve-  
lut primæ arborum gemmæ, è quibus  
A flo-

flores fructusq<sup>3</sup> nascuntur. 2. Novitiis, qui Scholastici sunt in fieri, & inchoative, tanquam flores, aut fructus nondum maturi, sed rore divina gratia, & calore solis justitia, atq<sup>3</sup> sedulâ Horzularum curâ, paulatim ad maturitatem perducendi. 3. Studia sua Recolentibus. 4. Magistris docentibus. 5. Theologico studio vacantibus. 6. Tertia probationi, ad spiritum renovandum, destinatis. Faxit divina Bonitas, ut fructus optatus respondeat, & quilibet vestrum, ex horum lectione, vel unicum sapientia cœlestis ac scientia Sanctorum, aut perfectionis & sanctitatis gradum referat, omnibus mundi divitiis ac thesauris infinite præstantiorem. Et ego tenuem hanc opellam meam abunde compensatam esse existimabo.

Geista Anno 1696.

5. Febr.

Omnium servus in Christo

J. D. S. J.

\*\*\*\*\*

## INSTRUCTIO I.

Pro Candidatis Societatis

JESU.

CAPUT I.

*Quo fine status religiosus à Candidato Societatis sit amplectendus?*

**S**I divina Bonitas, mi Candidate, ad Societatem Jesu ineundam te vocet; vel intellectum tuum motivis efficacibus illustrando, vel Rationem, mentemque tuam convincendo, expedire tibi statum religiosum amplecti: vel inculpando voluntati tuæ affectum quandam vehementem Deo perfectè serviendi: vel suaviter & efficaciter tibi inspirando: *Sequere me.* Matth. 9. Ante omnia finem & intentionem bonam tibi præfigas, necesse est: neque enim in Religione aspirare te oportet ad honores, prælationes, sustentationis certitudinem, divitias, delicias, commoditates, scientias, quietos, otiosos, ac bonos dies, alio enim fine Christus Dominus ad

gionem vocat; Si quis, inquit, vult post me venire, abneget semetipsum & tollat crucem suam & sequatur me. Matth. 16. Quare sequentes intentiones, aut unam saltem ex illis tibi propone, quarum alia omnibus ordinibus communes, alia Societati propriæ sunt.

I. Finis primus amplectendæ religionis esse potest, ut evadas pericula salutis, quæ status sæcularis secum affert. Cum enim Spiritus S. disertè afferat, per S. Joannem 1. ep. c. 5. *Mundus totus in maligno positus est.* & 1. ep. cap. 2. *Omne quod est in mundo, concupiscentia carnis est, & concupiscentia oculorum & superbia vitæ.* Hinc clarè perspiciens, quanta sint in mundo damnationis æternæ pericula; dices: Volo salvare animam meam.

II. Alter finis est, ut vocanti Christo obedias; Vocat ille te, ut olim Adolescentem divitem, probum, castum, omnia enim mandata servaverat à juventute sua; inspiratque tibi: *Si vis perfectus esse, vade, vende, qua habes, & da pauperibus & c. & veni, sequere me.* Matth. 19. Et ideo fortassis id inspirat, quia prævidet te in sæculo manentem

tem

tem, æternum damnandum. Quod si verò tu vocantem nolis audire, quemadmodum adolescens ille dives, meriò timere potes, ne & tibi dicat: *Amen dico vobis, quia dives difficile intrabit in regnum cælorum, & facilius est, camelum per foramen acûs transire, quam divitem intrare in regnum cælorum l.c.* Ne id tibi accidat, statue Christo vocanti parère, ut hac salutis obitendæ difficultate te expedias.

III. Finis tertius est, ut non tantum pericula & difficultates obtinendæ salutis evadas; Verum etiam de salute æterna, certus, securusque reddaris. Habent enim Religiosi, non revelationem aliquam illusioni obnoxiam, sed certissimam, ac divinam, æternæ veritatis ore prolatam, à binis Evangelistis descriptam Matth. 19. & Marc. 10. *Omni qui reliquerit & c. Patrem aut matrem, aut uxorem aut filios, aut agros propter nomen meum, centuplum accipiet, & vitam æternam possidebit.* Quid clarius? ac proinde quid securius? *Impossibile est mentiri Deum.* inquit Chryostomus L. 1. de Provid. Coll. 11. *Promisti autem ille vitam æternam ista relinquentibus.*

A 3

Reli-

*4* rmes amplectende Religionis.  
Reliquisti tu omnia ista & absecisti: quid  
igitur prohibet de huiusmodi promissione  
S. confidere & esse securum?

Finis IV. est, ut immaculatum te ab  
hoc sæculo nequam custodias, & peccata  
mortalia effugias. Quid in mundo cernere  
est, nisi omnium scelerum diluvium? Teste  
Osca Propheta c. 4. *Non est veritas, &  
non est misericordia, & non est scientia Dei  
in terra: maledictum, & mendacium, &  
homicidium, & furtum, & adulterium in-  
undaverunt.* In hoc diluvio innumeri nau-  
fragium faciunt; pauci enatant. Tibi au-  
tem Deus inlclamat, ut ad religionis arcem  
cum paucis confugias & hoc scelerum di-  
luyium evadas. *Recedite, recedite, exite in-  
de, pollutum ejus nolite tangere.* Isaia 52.

V. Finis quintus esse potest: ut pro  
peccatis in sæculo commissis Deo satisfac-  
cias. S. Thomas. 2. 2. q. 189. a. 3. ad 3.  
ait: *Si aliquibus elemofynis factis, homo  
potest statim satisfacere pro peccatis suis,*  
secundū illud Dan. 4. *Peccata tua eleemo-  
synis redime.* Multò magis in satisfactione  
pro omnibus peccatis sufficit, quod ali-  
quis se totaliter divinis obsequiis mancipet  
per religionis ingressum. VI.

*Fines Societati Jesu proprii.*

VI. Fines præterea multi alii esse pos-  
sunt. S. Bernardus de quarente bonas mar-  
garitas epist. 7. Novem causas adfert: *In  
religione, inquit, homo vivit purius, cadit ra-  
rius, surgit velocius, incedit cautiùs, irro-  
ratur frequentius, quiescit securius, mori-  
tur confidentius, purgatur citius, remunera-  
tur copiosius.* Adde ut Christi vitam imite-  
ris, & pretiosam perfectionis Evangelicæ  
margaritam invenias: de qua S. Bernar-  
dus serm. Super hanc parabolam. *O reli-  
gio virtutibus ornata! ô margarita præful-  
gida & sole splendidior! Per te spiritu cæci  
vident, claudi ambulant, leprosi mundantur,  
pauperes evangelizantur. Tu de superbis  
humiles facis, de gulosis sobrios, de luxurio-  
sis pudicos &c. Ô vita admirabilis! vallis  
plena virtutibus, paradysus deliciarum! at-  
que hi fines omnibus ordinibus, secundum  
regulam suam viventibus communes sunt,  
Societati Jesu proprii & speciales sunt se-  
quentes.*

VII. Pro Societate Jesu, præ aliis or-  
dinibus eligenda, finis esse potest. 1. Ut in  
Societate, ordine adhuc recente, & in pri-  
mo etiamnum flore vernante, vitam per-

sectam instituas, ac feliciter finias. 2. Ut non tantum saluti & perfectioni proprię, verum etiam proximorum, impenſe invigiles. Hic enim finis est Societatis. 3. Ut juventutem velut teneras plantulas, ad omnem virtutē ac pietatem formes. 4. Ut pueris ac rudibus fidei & doctrinę Christianę aded necessarię, per catecheses, lac intilles. 5. Ut dignitatibus & prælaturis ordinariē periculosis, interpositā voti religione, aditum præludas. 6. Ut scientias & virtutes docendo, pro omnibus aliis ordinibus, statibus, officiis, gradibus, Reipublicę Christianę subjecta & instrumenta divinę glorię præpares & expolias. 7. Ut hæresin oppugnes, scelera & vitia debelles, Christi & Apostolorum more, urbes & pagos, oppida & castella circumeundo, Evangelium annunties, animasq; plurimas Christo lucrifacias. 8. Aut etiam, si Deus eā te gratiā dignatus fuerit, ut in Indiam, Chinam, Japoniam aut Brasiliam, ad hos infideles convertendos destineris, profuso, pro Christo & si le, sanguine ac vitā, martyrii lauręa coronandus.

VIII. Accedunt singulares quidam favores & gratię, quas recenset P. Jacobus Ledesma sanctimoniz famā inelctus, & vivente S. Ignatio ad Societatem vocatus, & miracula nuncupat, asserens ea in Societate esse non particularia, sed universalia, & continua. 1. Charitas tanta inter omnes. 2. Pax tanta cum unione. 3. Tantum castitatis donum etiam in juvenibus. 4. Zelus tantus convertendarum animarum in omnibus. 5. Spiritualitas tanta in omnibus. 6. Multiplicatio Societatis per orbem tam celeris, idque cum tanta mutatione regionum & civitatum, in quibus habitat. 7. Vocationes tam admirandę & prodigiosę. 8. Indig miracula & infidelium conversio. 9. Nobilium & doctorum virorum tanta humilitas. 10. Tanta constantia & firmitas in virtute, ut paucis ab ingressu mensibus mittantur peregrinatum & catechizatam. 11. Libellus Exercitiorum, & prodigiosę per illum factę animorum mutationes. 12. Admiranda virtus movendi corda, tum verbis tum modestiā & exemplo. Deniq; concludit, hæc omnia non esse humana; sed planē esse digitum Dei.

IX. Deniq; extraordinarium & heroicum finem ingrediendæ Societatis habuit R. P. Mauritius de Büren, Cameræ Imperialis Præfes, quem ex literarum autographo, manu ejus propriâ exarato & Anno 1644. 15. Aprilis ad Bonorum suorum Administratorem dato, exscribo: Si qui, inquit, rogaverint, cur Societatem Jesu præ aliis ordinibus elegerim; respondeo, quod ea, præter alias præcellentes & extraordinarias perfectiones, plûs, quàm ullus alius ordo (ut spatio 40. annorum in sæculo transactorum, apud omnis generis & nationis homines, tam sæculares, quàm non sæculares observavi) ab Hæreticis, malis Catholicis, & ejus Institutum ac vitam ignorantibus, contemnatur, propriâ quarto modo Christi Domini ejusq; verorum Discipulorum notâ: *Si me persecuti fuerint & vos persequentur, mentientes. Ut alia, quod nomine & revera Jesu Societas sit, indicia præteream. Hæc ille Societatis semper amantissimus.*

## CAPUT II.

*Quid Candidatus Societatis, respondere queat Consanguineis & Familiaribus, Religionis ingressum dissuadentibus.*

Quemadmodum Phatao & Ministri ejus, Israëlitas in solitudinem ire cupientes ad sacrificandum Domino, variis artibus à sacrificio abstrahere conati sunt: ita & mundus, caro, Dæmon, imò & non rarò parentes. Amici & Domestici variis modis Candidatum, sacræ religionis solitudinem ingredi cupientem, à proposito dimovere moluntur.

1. Pharao Israëlitas per Præfectos operum voluit opprimi laboribus & operibus, ipsosque stipulas conquirere jussit, nec tamen quidquam de mensura laterum minui: *Vacant enim*, inquebat, *& idcirco vociferantur, dicentes: Eamus & sacrificemus Deo nostro.* Exodi 5. Pari ratione Sathan mundus, & consanguinei moluntur Candidatos religionis opprimere negotiis, occupare terrenis; offerendo occasiones acquirendi opes, hæreditates, dignitates, re-

*Quid respondendum religionis*  
 creationes, matrimonia & honorifica officia, ut his cogitationibus implicati vocationis sementem suffocent. At Candidatus advertat fraudem, separet pretiosum à vilis, & terrena omnia, quasi paleas & stipulas inanes reputer, quibus conficiuntur & coquantur lateres peccatorum. Atq; ad pericula mundi capite præcedenti allegata se reflectat.

II Hac primâ tentatione superata, mox insurgit altera valde larvata: suadens illud, ad quod tendit vocatio divina, posse in ipso mundo obtineri. Dicit enim quod Pharao respondit Hebræis: *Ite & sacrificate Deo vestro in terra hac.* Exodi 8. Ec facite in Ægypto, quod facere volebatis in deserto. Pariter dicunt mundani: etiam nos cogitamus salutem consequi, etiam in sæculo licet Deo servire & perfectionem assequi: neq; opus est ad Religionum deserta confugere. Hujus technæ larvam detrahit Moyse: *Non potest ita fieri, abominationes enim Ægyptiorum, immolabimus Domino Deo nostro, quod si mactaverimus, que colunt Ægyptiis, coram eis lapidibus nos obruent.* Exodi. 8. v. 26. Sic dicat Candida-

didatus: Cum jusserit me Deus sibi servire in statu perfecto Religionis, non possum in sæculo manere: neque expedit mihi offerre res abominabiles, quas mundus offert, alioquin peribo: quod si ei resistam ac vitam in mundo, mundanis contrariam ducam, lapidabit me sarcasms & verborum crepantium saxis.

III. Audiens Pharao firmum animi decretum; non posse fieri sacrificium in Ægypto. ait: *Ego dimittam vos ut sacrificetis Deo vestro in deserto; veruntamen longius ne abeat.* Exod. 1. c. v. 28. Volens eos habere in conspectu, ne fugerent. Sic mundus ac Sathan aggreditur Candidatos; & vel suadet, ut si Deo servire velint, Sacerdotium, Canonicatum, vel Vicariam suscipiant in sæculo, in quibus possint sacrificia Deo grata offerre; vel saltem ne id faciant in religione stricta, sed laxiore, nec procul ad locum remotum secedant, sed in patria remaneant. At Candidatus non audiat vocem Pharaonis: *ne longius abeat;* sed potius verba Angelorum ad Loth, cum eum educerent è Sodomis: *Ne stes in omni circa regione, sed in monte salvum te fac, ne & tu simul pereas.* Gen. 19. IV.

*Quid respondendum dissuadentibus.*

IV. Quarta tentatio & nequitia Pharaonis: *Ite tantum viri & sacrificare Domino, sed mulieres & parvuli maneat in Aegypto.* Exodi 10. Ita & mundus debiles quosdam decipere tentat dicens: statum religiosum esse solum pro viris, ac robustis: sed adolescentibus teneræ complexionis non expedire. *Respondeat autem Candidatus cum Moysse: Cum parvulis & senioribus exeundum esse, cō quod sit solennitas magna Domini peragenda.* Exodi 10. Qui vocavit, *qui dedit velle, dabit & perficere. Qui sperant in Domino, mutabunt fortitudinem; assument pennas ut aquila, current & non ambulabunt: ambulabunt & non deficient.* Isaia 40.

V. Tentatio quinta Pharaonis fuit: Cū resolutionem firmam Israëlitarum cerneret; dixit: *Ite sacrificare Domino, parvuli eant vobiscum, sed armenta maneat.* l. c. Ita mundani cernentes firmam Candidati resolutionem, suadent, ut armenta, id est bona temporalia; vel in signum amoris relinquat amicis in mundo, vel in signum aut pignus reditū. At respondeat cum Moysse: *Non remanebit ex*

*Objectiones Mundanorum refelluntur.* 13  
*eis ungula.* Sicut ego in ipsum Deo offero, sic & mea Deo in pauperibus largiar & immolabo.

VI. Denique sicut Pharaon junxit populum suum toto agmine & persecutus est Filios Israël. Exodi 14. Ita Diabolus excitat Parentes, Fratres, Consanguineos, ut agmine quasi facto Candidatum adoriantur, & ingressum religionis impediunt. De quibus Salvator: *Inimici hominis domestici ejus.* Matth. 10. Ut Adami Eva, & Jobi, Uxor ejus. Valet igitur hic: *si manus tua, aut oculus.* (Pater aut Mater) scandalizate, erue eum; bonum est tibi cum uno oculo invitam intrare, quàm duos oculos habentem mitti in gehennam. Matth. 18. Obijciunt autem conglobatim sequentia.

VII. *Obijciunt* 1. Candidatum adhuc esse adolescentem, nondum iudicium esse maturum: Sed respondeat id, quod Spiritus S. per Jeremiam dixit? *Bonum est viro, cum portaverit jugum ab adolescentia sua,* Thren. 3. Exemplo S. Joannis Baptistæ in pueritia euntis ad eremum: item SS. Antonii, Pauli primi Eremitæ, Hilarionis, Benedicti, Bernardi, Francisci, Aloysii, Stanislai

nisiat, Bergmanni, aliorumq; innumerorum in adolescentia se Deo consecrantium.

VIII. *Obijciunt* 2. Legem Dei jubere, obedire Parentibus, ideòq; illis invitis non esse amplectendam religionem. *His Candidatus opponat cum S. Bernardo epilt. 3. Sola causa, quã licet non obedire parentibus, Deus est: ipse enim dicit: Qui amat Patrem aut Matrem plus quàm me, non est me dignus. Si verè me, ut boni parentes diligitis. quid me Patri omnium Deo placere satagentem inquietatis, & ab ejus servitio, cui servire regnare est, retrahere tentatis?* Ac riuus sese opponit S. Hieronymus ep. 1. *Licet sparsa crine, & scissis vestibus, ubera, quibus te nutribat, mater ostendat, licet in limine Pater jaceat: Percalcato, perge, Patre Siccis oculis ad vexillum Christi evola. Solum pietatis genus est in hac re esse crudelium.*

IX. *Obijciunt* 3. Quod Candidatus non à Deo vocatus, sed ab hominibus allectus, & munusculis ac blandis persuasionibus inductus, vel fervore juvenili, paulò post cessaturo motus videatur per egressum

sum verò è religione magnam familiæ notam inustus sit. *Sed Respondeat, voluntatem bono fine vel salutis vel perfectionis, religionem ingrediendi, non posse non esse à Deo: nullum enim opus supernaturale esse potest nisi à Deo, excitante & movente: Nemo potest dicere Dominus Jesus, nisi in Spiritu Sancto 1. Cor. 12.*

Quantò minus potest quis ingredi velle religionem, deserere mundum, parentes, bona, & amplecti paupertatem & obedientiam? Deinde S. Thomas opusc. 17. c. 3. 4. 5. docet, ac disertè probat, etiam pueros munusculis inductos, posse recipi ad religionem. Nostra tamen Societas hanc consuetudinem non habet, imò id suis prohibet. Addit S. Doctor etiam si Dæmon ipse suaderet alicui religionis ingressum, posse nihilominus, talem, statum religiosum eligere: eo enim casu, Deus, non Dæmon cor hominis ad religionem intrandam moveret.

X. *Obijciunt* 4. Deliberandum diu, quod statuendum est semel, non agendum precipitanter & temerè, probandum esse spiritum, num ex Deo sit, ne postea status

religiosus cum nota deferatur. *Respondeat Candidatus*, recta ratio docet diu deliberandum esse an viâ periculosa & latronibus infesta eundum sit, non de illa in quibus nihil est periculi. Cùm ergò veritas æterna asserat, statum sæcularem esse plenum periculis, & ex altera parte, promiserit religiosi centuplum & vitam æternam, patet in illo diu deliberandum, non in hoc, cùm irreverentia & contemptus videatur, diu deliberare de eo, quod Deus ipse suadet.

XI. *Instant*. Multi non perseverant in ordine, qui scis te perseveraturum? *Respondet* S. Chrysostomus L. 3. contra Vitup. vit. mon. Coll. 24. *Unde inquit constare nobis poterit, quod stabit ille & perseverabit omnino? multi enim exciderunt. Et ego tibi respondeo: Unde verò tibi constat, quod non perseverabit! multi enim sunt, qui perseveraverunt, & quidem longè plures, itaque istorum gratiâ magis confidendum est, quàm illorum metuendum.*

XII. *Obijciunt* 5. Incertum esse, num quis sit à Deo vocatus, cùm multi malè in religione vivant & deficiant. Dei autem perfecta sunt opera. *Repono*: Judas in Apo-

Apostolatu non perseveravit, num propterea de vocatione ejus quis dubitabit? S. Petrus & S. Thomas peccavit, num propterea non vocati à Christo?

XIII. *Obijciunt* 6. Multos ingredi Ordinem vel ex desperatione, vel ex paupertate, vel ob adversitates & alia incommoda. Sed da illis hoc, & fatere Deum cum multis servare illud Evangelicum: *Compelle intrare*. Quemadmodum cum Paulo Apostolo, quem ex equo dejecit, & excœcavit. Nec tamen ejus vocationem ul-  
lus Fidelium revocavit in dubium.

XIV. Denique ingerunt & irrident in veste Societatis nigrum colorem, unde per contemptum nos nigros aut corvos vocitant. Sed cur non eodem quoque nomine appellant, tot myriades Monachorū ex ordine S. Benedicti, S. Basilii & aliorū? Uti & tot millia toto orbe Clericorum; *Nigram vestem continentium insigne esse* ait S. Augustinus, *Nigra sum sed formosa*: fusca sum in veste, sed Candida in Conscientia, dicere potest cum sponsa Societas. *Vide P. de Ponte de perfect. Et P. Lancic. op. I.*

CAPUT III.

*Consilia Spirituality pro Candidatis Societatis*

I. **C**andidatus Societatis Jesu, vocationem suam magni æstimet; vocatur enim à Christo è mundo maligno, ad sequelam ejus, ut liber evadat à Dominatu Concupiscentiæ carnis, & oculorum, ac superbiz vitæ, qui sunt famosi scopuli, omni scyllâ & charybde periculosiores, ad quos tot hominum milliones animæ & salutis æternæ naufragium faciunt.

II. Minimum ter in die, scilicet manè, dum surrexit, deinde in sacro, ac deniq; in examine vespertino Deo, B.V. & S. Ignatio gratias agat, pro beneficio vocationis, ad statum religiosum. *Qui ut ait S. Bernardus, scala Jacob est, animas perdicens ad paradysum* l.c.

III. Manè, postquam surrexit. 1. Adoret Deum presentem in omnibus locis. 2. Gratias agat pro beneficiis. 3. Offerat Deo voluntatem, nunquam amplius deliberatè peccandi. 4. Petat gratiam sine peccato graviore vivendi, omnia opera  
be

*Consilia Spirituality pro Candidatis Societ.* 19  
bene peragendi, adverla quæ occurrerint, amore Dei libenter tolerandi, in vocatione perseverandi, & omnia obstacula feliciter removendi.

IV. Omne peccatum lethale devitet, & tanquam à facie colubri fugiat, ne Deo, pro tanto vocationis beneficio se ingratum præbeat, & merito suæ vocationis gratiâ excidat. Si id, quod corpus perimit, summo studio vitat; majore sanè quod animam occidit, declinabit.

V. Stabilem habeat conscientiam suæ arbitrium, cui pro meliore directione, omnes suas tentationes, difficultates, remoras, à mundo, carne, Dæmone, vel homine quocùnque injectas candidè aperiat, ejusq; consilia sequatur. Eundem consulat, an & quoties, more S. Pauli Apostoli, opere aliquo pœnoso corpus in servitutem redigere liceat, ut paulatim addisecat, sub spinoso capite, non esse membrum delicatum.

VI. Omnes occasiones, incentiva & pericula peccandi, cane pejus & angue, fugiat, cujusmodi sunt, pravi socii, libri obscœni, liberæ conversationes & colloquia proluxa cum sœminis, convivium, symposia, choreæ &c. B VII,

VII. Omnes actiones suas, maximè adia phoras, studia, labores, ad finem supernaturalem, id est, ad majorem Dei gloriam dirigere studeat, ut magis Divinæ Bonitati placeat.

VIII. Conetur multa bona opera præstare, ut magnos pro æternitate thesauros sibi comparet: par enim est, Candidatum religionis, tanto minimum studio congregare thesauros animæ æternum duraturos in cælo, quanto Mercatores divitias colligunt, post mortem relinquendas in mundo.

IX. Omnibus festis solennioribus, item festis B. V. & Sanctorum nostrorum, imò singulis aut alternis Dominicis sacro epulo animam reficiat, & vocationi suæ obediendi gratiam postulet.

X. Singulis diebus manè saltem unum quadrantem rerum cælestium & æternarum meditationi tribuat, v. g. de quatuor novissimis, de vita Christi Domini, ut hac ratione meditationi paulatim affuescat & in vocatione confirmetur.

XI. Indies ex libro spirituali nonnihil legat, saltem parum: sed ita ut sententiam ali-

aliquam selectiorem memoriæ imprimat, ad vitæ emendationem profuturam. Ejusmodi verò Librum vel à præside Sodalitatis, aut à Conscientiæ Directore, aut à Professore petat, qualis esse potest, Thomas de Kempis, P. Platus de bono statûs religiosi, P. Drexelius de æternitate; vel Tractatus aliquis de vanitate mundi, vel de novissimis, vel vita B. Aloysii, B. Stanislai, Bergmanni.

XII. Otium fugiat, in studia verò omni diligentiam incumbat: Scientia enim & virtus alæ geminæ sunt, sine quibus Religiosus Societatis volare, & Dei gloriam promovere nequit.

XIII. Tam modestè, decorè & piè vitam suam instituere conetur, ut omnibus Domesticis & Condiscipulis ad Novitiatum abiens, boni exempli & virtutis suavem odorem post se relinquat.

XIV. Ac proinde, domi, foris, in scholis, & ubicunque fuerit, modestiâ & pietate omnes ædificet, & cum potest, mala aliqua, licet parva, impediât: ita enim paulatim fini Societatis ineundæ sese accommodare incipiet.

XV. Statuat in animo suo, exemplo Christi Ducis sui, etiam adversa quæpiam fortiter pati, qualia sunt, verba mordacia aliorum, irrisiones, vexationes, defectus nonnulli in victu, vestitu, habitatione. Non est servus major Domino suo, nec miles melior Duce.

XVI. Si fortasse, quædam in statu religioso, tanquam ardua ac difficilia apprehendat, animet se, cogitando 1. Jesus Dux meus longè graviora pro me pertulit. 2. Vel unico peccato lethali infernum promerui infinite difficiliorem. 3. Quovis peccato veniali merui pœnas purgatorii, omnium Martyrum & Reorum tormentis longè acerbiores: Ac propterea in religione non nihil patiendo, Deo volo satisfacere, nam Religio est status pœnitentiæ. 4. Momentaneum est, quod cruciat, æternū quod delectat. *Momentaneum & leve tribulationis nostra, supra modum in sublimitate æternum gloria pondus operatur in nobis.* 2. Cor. 4.

XVII. Post admissionem, Testamentum ne condat, licet Consanguinei urgeant, bona sua nulli eorum leget, donet, aut

aut promittat, etiam sub conditione perseverantiæ: sed libertatem omnem retineat, ut suo tempore, magis illuminatus, secundum Christi Domini consilium, & perfectionis regulas, de rebus suis meliùs disponat.

XVIII. Admissus, non differat Religionis ingressum: sed quàm primùm licet, sese expediat. Dilatio sæpe vocationis jacturam adfert, aut saltem torporem inducit. *Ne dicas,* ait Chryostomus hom. 17. ad Pop: *Alloquar primùm propinquos, resq; meas expediam: torporis indicium est, hæc dilatio, Parvum Discipulus sepelire voluit, nec id Christus permisit.* Et S. Bernardus de convers. ad Cler. c. 30. ait: *Periclitatur castitas in deliciis, humilitas in divitiis, pietas in negotiis, veritas in multiloquio, charitas in seculo nequam: Fugite de medio Babylonis, fugite & salvate animas vestras!*





B. STANISLAUS KOSTKA  
 ex Senatoria apud Polonos stirpe  
 Societatis Iesu Novitius  
 Obiit Roma ad S. Andrea 1582, 12 Aug.  
 Cultus Patronus Poloniae 13 Novembrii

## INSTRUCTIO II.

### Pro Novitiis Societatis.

**P**robatio in Societate triplex est. 1<sup>ma</sup>. Si strictè accipiatur, ut interpretatus est P. Claudius Aquaviva Anno 1584. durat usq<sup>3</sup> ad menstrua exercitia, nos autem hic accipimus latè, prout prima etiam exercitia complectitur. 2<sup>da</sup>. Usq<sup>3</sup> ad vota simplicia. 3<sup>ia</sup>. Absolutis studiis, in domo tertia probationis, tanquam in schola ætæ ætuum instaurandorum complectur.

#### §. I.

#### Documenta pro Novitiis in prima probatione versantibus.

**D**ocumentum I. Novitius Domum Tirocinii ingressus Rectori suo totum se cum magna humilitate & resignatione regendum permittat, tanquam Filius dilectus Patri. Sic P. Balthasar Alvarez Novitius penitus se tradebat P. Bustamantio Informatori suo, instar ferri è camino extracti & fabri arbitrio relictæ, ut ipsum flecteret & pro sua voluntate poliret, donec cordi evangelicæ perfectionis forma imprimeretur, c. 1. vitæ. A 4 Do-

*Documentum II.* Accuratè legat & expendat Examen, diploma Julii III. Summarium Constitutionum & Regulas communes, quæ in prima probatione legenda & consideranda communicari solent.

*Documentum III.* Ad initium det operam, ut bene addiscat, & percipiat modum meditandi: Instructorémque demissè roget ut doceat: nam inde pendet primorum exercitiorum fructus, imò vitæ totius profectus & in Societate perseverantia. Inter motiva & incitamenta ad meditandum primo loco annotaverat Joannes Bergmannus: *Si bene facio orationem meam, non erit ullum periculum amittenda vocationis meæ: omnis enim apostasia à Societate, hinc sumit initium.*

*Documentum IV.* Exomologesin de tota vitâ, sincerè, exactè, integrèq; perficiat, omniaque peccata sua ita expiet, tanquam paulò post moriturus. Erit hoc fundamentum tranquillitatis conscientiæ in omni vita secutura. Eo autem præstito, anxietates & scrupulos seponat, sequens consilium Gerfonis p. 3. de remed. Pusill. Si semel conscientiam diligenter excussâ, cum

cum dolore debito, Sacerdoti idoneo confessus es, animo nihil celandi, & sic absolutus es, securè apud te statue, rite te expiatum, omnémque scrupulum & metum depelle; nisi aliquid perspicuè occurrat, quod certò memineris te non dixisse.

*Documentum V.* Consideratâ peccatorum suorum multitudine & enormitate, generosè se resolvat ad ferenda omnia, quæ in Societate molesta, difficiliaq; evenire poterunt; ut pro peccatis commissis Deo satisfaciat, cogitètque omnia hæc esse leviora, promeritis toris Inferni & purgatorii acerbissimis cruciatibus & tormentis.

*Documentum VI.* Agnito fine creationis suæ, efficaciter se resolvat, ad fugienda omnia, quæ finem illum & perfectionem impediunt; cujusmodi sunt, peccata & imperfectiones. Et è contrâ animet se ad omnia, quæ finem hunc adjuvant, ut sunt observatio regularum, frequentatio mortificationum, studium orationis, meditationis, examinis, denique indifferentia ad omne Dei & Superioris beneplacitum.

*Documentum VII.* Perspecto fine Societatis & vocationis suę, ex meditatione de regno Christi, ac duobus vexillis (in quo S. Patri nostro tota Societatis idea ac structura à Deo demonstrata est) resolvat se ad strenuè sequenda vestigia Jesu Ducis sui, in paupertate, castitate, obedientia, & omni sanctitate: item in humiliatione, confusione sui & adversorum tolerantia, desiderando strenui militis & Socii Jesu partes explere; instar B. Stanislai è Novitiatu Parenti malè contento sic scribentis: *Indignum me judico, qui propter Dei amorem, quidquam acerbi feram: si tamen Christus Jesus tam multa pro nobis passus, pro sua clementia tanto munere me dignaretur, haud optatius quidquam ac beatius posset in hac vita evenire.* p. 2. vitę. c. 1.

*Documentum VIII.* Cùm probè novèrit, & fortè experiri jam cœperit, Demonstrationes, in statu religioso non emanaturas 1. & præsertim circa vocationem, 2. Circa affectus carnales erga peccata sæculi, vel erga personas inordinatè amatas. 3. Circa tepiditatem & somnolentiam in occupationibus ordinariis perficiendis.

4. Circa occultationem peccatorum, vel tentationum periculosarum tum propriarum, tum alienarum; integram conscientię suę rationem Instructori suo reddat, firmiterq; decernat semper gerere conscientiam eidem apertam & perspectam, ut securius in via Domini, contra Sathanę machinationes dirigatur.

*Documentum IX.* Accessurus ad convivium aliorum, quos se meliores esse conspicit, statuat neminem liberiore agendi modo aut regularum violatione offendere; aut moribus asperis scandalum præbere. Hęc si constanter præstiterit, majoris indies in virtute profectus, aliorumque Dei donorum capax reddetur: nam ut ait S. Basiliius Reg. 58. c. 4. in Moral. *Qui grato animo in donis, qua à Deo primum accepit, studiosius seipsum exercuerit, ad laudem Dei; is idoneus efficitur, cui alia præterea adjiciantur.*

## §. II.

*Documenta pro Tironibus, in probatione secundà degentibus.*

*Documentum I.* Odium & horrorem peccati cujusvis, (ut in primâ proba-

tionē, ex confessione generali & exercitiis spiritūs cœpit) summum concipiat & fo-  
 veat: ita ut nulla res creata sit à qua magis  
 abhorreat, atq; à quavis etiam minimâ Dei  
 offensâ, præsertim deliberatâ: imò consi-  
 deratâ peccati gravitate, scœditate ac da-  
 mnis, malit cum S Anselmo in infernū de-  
 trudi, quàm vel unico veniali peccato deli-  
 berato, Majestatem divinam offendere.  
 Hoc documentum è primâ Exercitiorum  
 hebdomade desumitur.

Atq; hæc est prima radix & causa cur  
 plures vix absoluto Tirocinio, quamprimum  
 aliis Collegis se adjunxerunt, liberè  
 regulas transgredi, & peccata venialia  
 committere incipiant: quia non extulerunt  
 è Novitiatu veram & practicam cog-  
 nitionem scœditatis & gravitatis peccati,  
 & quod inde sequitur odium & horrorem  
 illius: qui est fundamentum (post fidem)  
 non solum statûs religiosi, sed etiam sæcu-  
 laris. *In ruinam prona sunt, que sine funda-  
 mento crevère, ait rectè Seneca L. de ira*  
 c. 16.

E contrario, qui sanctum hoc odium &  
 peccati horrorem è Tirocinio extulère,  
 vi-

vitam perfectè instituant, regularum om-  
 nium observationi intendunt, mirificè in  
 virtute proficiunt, Superioribus exactè  
 obediunt, cum omnibus in pace & cum  
 ædificatione degunt.

*Documentum II.* Hoc igitur odio ar-  
 matus operam det, ut nunquam deliberatè  
 peccatum veniale admittat, & indelibera-  
 tè rarò. Exemplo P. Bernardi Colnago  
 qui in Tirocinio, angelicas mentes animi  
 nitore imitandi cupidus, in id omnes ner-  
 vos, virèsq; contendebat, ne vel levioris  
 noxæ labeculam sciens incurreret, aut le-  
 gem quantulamcūq; prudens violaret. L.  
 I. vitæ c. 4. Quò anima purior est, eò dona  
 majora cœlitus percipit.

*Documentum III.* In quavis exomolo-  
 gesi hebdomadaria, peccatum quodpiam  
 seligat paulò gravius vel periculosius,  
 quod cum gratia divina, hebdomade pro-  
 ximâ cavere omni studio statuatur. Mirificè  
 id ad animæ nitorem conducit.

*Documentum IV.* Etiam pœnas, vitæ  
 sæcularis peccatis contractas abolere sta-  
 tuat: atque ut pro iis justitiæ divinæ satis-  
 faciat, ac pœnas purgatorii evadat, ordina-  
 rias

rias carnis afflictiones ac mortificationes suas Deo offerat, omnia tamen secundum Superioris voluntatem exemplo B. Stanislai, qui quidquid horum in singulis notabat, explere cupiebat universa: sed omnia sancta obedientiâ, tanquam fidei caractere, temperabat. p. 2. vitę. c. 3.

*Documentum V.* Omnes tentationes molestas & frequentes, omnes animi perturbationes, & si quę acciderint ab aliquo consilia mala & exempla, absq; omni personarum respectu Superiori suo mox aperiat. Sic Dæmonis pedicas evadet. Atque hæc primæ Exercitiorum hebdomadi respondent, ejusque finem respiciunt.

*Documentum VI.* Acquirat ardens perfectionis desiderium, conando omnia & singula Novitiatus opera cum fervore & diligentia obire, & sine supernaturali ad Deum referre. Ad hunc finem exercitia hebdomadis secundæ & proposita in meditationibus Christi exempla conducunt. Concipiat proinde ideam, ac similitudinem actionum, verborum, & cogitationum Filii Dei, quam imitando exprimat. Et hoc certum indubitatumque teneat, ab hoc

hoc Tirocinii fervore ac modo, omnis vitæ reliquæ cursum pendere. *Attendite*, agebat P. Balthasar Alvarez Novitiis suis, *quomodo nunc in via spirituali progrediamini: nam de lege ordinaria, quo passu, tempore probationis & tirocinii vestri progredimini, eodem reliquo vita tempore pergetis. Si nunc tepidi fueritis, & in profectu vestro spirituali desides; tales semper & immortificati manebitis: si autem nunc magno spiritus fervore incedatis, assuescitis ad bene eodem modo progrediendum.* In vita cap. 1. *Experientia & Spiritus S. oraculum id comprobatur: Adolescens juxta viam suam, etiam cum senuerit, non recedet ab ea.* Proverb. 22.

*Documentum VII.* Caveat tamē sibi Novitius ab indiffereto labore. 1. Corporis, ne gravioribus oneribus, ferendis aut poenitentis nimis corpori nocumentū afferat. 2. In laboribus mentis vitet, ne affectibus continuis, aut meditationibus indifferetē intensis, aut scriptioribus nimis diuturnis pectus fatiget, aut caput lædat. Atque ita majora bona impediatur, cum damno animę, corporis, & Societatis.

*Documentum VIII.* Acquirere, cum gratia divina, studeat Tironibus necessarium amorem crucis, hoc est, omnium rerum adversarum, præsertim quibus propria existimatio & honor impetitur. Hic amor ex meditationibus de passione ac morte Domini hauritur, & vivâ peccatorum cognitione, quibus omnia aspera & opprobria debentur, fovetur. Et quando ardens est perfectionis desiderium, ardens quoque amor & desiderium crucis respondet. Atque hæc causa tertia, ob quam multi finito Tirocinio turbantur, si vel accusentur, vel ob defectus puniantur, vel ad scholas aut gradum altiozem non promoveantur; eò quod non sint fundati in amore crucis. Quapropter Novitius bene se in eo fundet, alioquin vitam inquietam ducet, Superioribus molestiam pariet, aut in Societate non perdurabit. Hoc punctum tertiæ hebdomadis exercitiis respondet.

*Documentum IX.* Eum in finem, strenuè Novitius se in operibus humilibus & confusionem adferentibus Tirocinii tempore exercent, motus exemplo Christi,

&amp;

& omnium propè Sanctorum, præcipuè nostrorum B. Aloysii, Bergmanni, aliorumque ferventiorum: qui defectus suos manifestando, ostiatim mendicando, reprehensiones libenter & avidè subeundo, aliisque modis mundum & honorem proprium calcabant.

*Documentum X.* Allaboret obtinere Tironibus necessariam, perfectam resignationem, & renunciationem propriæ voluntatis, ac rerum omnium. Hoc exigit, juxta doctrinam S. Patris nostri, amor erga Deum, situs in mutua facultatum & rerum, & operum, & boni cujusque communicatione. Conetur itaque vitæ suæ spiritualis initio, eò perfectionis pertingere, ut nihil unquam proprio arbitrio eligat aut consideret quoad occupationem, habitationem, gradum, & quicquid totâ vitâ accipere potest: sed omnia ista Deo ex amore donet, ut is pro beneplacito suo omnia ordinet ac disponat.

*Hæc radix erit magne tranquillitatis & pacis, quemadmodum contrarium, scaturigo erit omnis amaritudinis, inquietudinis ac perturbationis.*

At:

Atq; istud quarta Exercitiorum hebdomadi practice respondet.

Documentum XI, Superiores suos, tanquam Christum Dominum, cujus locum tenent, omni amore & reverentiâ prosequatur: Patres verò reliquos ac Fratres, tanquam charos Christi Domini Discipulos, & tanquam pupillam oculorum ejus tractet. Ac proinde ab illorum moribus externis, internisq; intentionibus censurandis totâ vitâ absteineat; omnia quantum licet, excuset, omnia in partem benigniorem interpretetur. Si verò illis charitatis obsequium exhibere valeat, nunquam neget, si absq; violatione ullius regulæ & perfectionis liceat.

Documentum XII. Cum nullo Novitiatus tempore, etiam cæteris devotiore, particularem amicitiam aut familiaritatem ineat: sed omnes amore sancto, tanquam unius Matris fideles Filios amplectatur. Quamvis libentius & frequentius, tempore ab obedientiâ præscripto, conversari cum iis liceat, quos regularum observationi & perfectioni magis addictos notaverit.

Do-

Documentum XIII. Curam minimorum magnam gerat, imitans P. Nicolaum Lancicium, de quo c. 4. vitæ m. s. refertur: Curam minimorum nunquam intermisit; jam tum in Novitiatu initium fecit minimorum fugiendorum & faciendorum; & hanc frequenter in ore habebat sententiam: *Nihil parvum putandum, quod summa aestimet Majestas: nihil leve, quod summa reprobet Sanctitas.*

Documentum XIV. Summopere sibi commendatam habeat regulam de silentio; neq; eam violet. Prædictus P. Lancicium, Patri Casimiro Wijuck Kojalowicz Theologiæ Doctori & vitæ ejus postmodum Scriptori, sæpius disertè confirmavit, se toto Tirocinii biennio, nunquam silentii legem violasse. Sic quoq; B. Aloysius hujus Legis ad aliorum admirationem observans, crebrò illud à S. Jacobo prolatum usurpabat: *Si quis putat se religiosum esse, non refronans linguam suam, hujus vana est religio.*

Documentum XV. Semper, semper, semper, dum loquendi facultas est, sermones instituatur de rebus spiritualibus: exemplo

plo

plō Bergmanni, Lancicii, B. Aloysii qui nunquam non de Deo loquebatur L. 2. vitæ. c. 1.

*Documentum XVI.* Omnes cogitationes fiduciam erga Deum minuentes, ac pusillanimitate aut tristitiâ cor constringentes, tanquam blasphemias, rejiciat; E contra cogitationes animum erigentes, & lætitiâ in obsequio Dei ac spem erga Deum augentes, foveat. Imitari conetur B. Stanislauum semper mirè hilarem & suavem decenti atq; amabili vultu: & Joannem Bergmannum, tantam semper oris hilaritatem præferentem, ut eum aliqui S. Hilarium aut S. Lætum facere appellarint. pag 24. vitæ.

*Documentum XVII.* Discat discrimen inter devotionem substantialem; ut illam sectetur, & accidentalem; ut si quando detur, uti noverit, ad profectum, & gratiarum actionem, sed non inordinate affectet. Devotio itaq; vera, solida & substantialis ex doctrina D. Thomæ, nihil est aliud quàm voluntas quædam promptè tradendi se iis, quæ pertinent ad Dei obsequium; quâ seipsum dicat & offert ad eadem valde ju-

jucundè expeditèque præstenda, absque repugnantia, tædio, vel tristitia ipsius voluntatis, ad eum modum, quo Israëlitarum Exodi 35. *Obtulerunt mente promptissima atq; devotâ primitias Domino.* Ita ut cum Davide dicere liceat *Paratum cor meum DEUS.* psal. 56. Scilicet paratum ad amplectendum quidquid tibi placet, paratum ad derestandum quidquid displicet: ad offerendum quidquid petieris, ad sufferendum laborem quemvis quem mihi miseris vel immiseris.

Devotio verò accidentalis seu sensibilibis est quasi emplastrum aliquod & lenimen, munimèntque contra repugnantiam carnis & impedimenta devotionis substantialis. Divina enim Bonitas disponit nonnunquam, ut devotio ista ita in superiori animæ parte crescat & exuberet, ut etiam ad partem inferiorem, totumque corpus derivetur; ita ut *cor & caro exultent in Deum vivum* psal 83. Atq; hæc devotio velut ignis in corde æstuans, carnis tædia, repugnantiasq; consumit, càmque spiritui conformem reddit: & quamdiu durat, lætitiâ, solatio, ac teneritudine replet, & quo-

quodammodo felicitati statûs innocentiz restituit, tribuens appetitui sensum & carni magnam promptitudinem ac lætiam ad omne id, quod Deo placet iuxta dictamen, directionemq; spiritûs.

*Documentum XVIII.* Maximi æstimer gratiam vocationis ad Societatem, tanquã pignus certum æternę prædestinationis ad cœlestem gloriam, ac pro hoc inæstimabili favore indies cordiales Deo gratias agat, in meditatione, sacro, examine. B. Stanislaus de cœlesti religiosæ vocationis dono, nunquam fermè sine magnificentia præclara verborum & uberrimis lacrymis loquebatur: P. Franciscus de Corduba vir claro loco natus, tanti faciebat, se esse religiosum Societatis, ut diceret paratum se esse jurare, nolle se vestem suam religiosam commutare cum purpura Cardinaliũ, & tiarã Pontificis. Similes sensus habebant P. Petrus Ribadeneira, P. Mauritius de Büren & innumeri alii, ut in vitis eorum recensetur.

*De amore & observatione regularum in Tirocinio Novitiis bene inculcanda.*

**M**aximi momenti est, ut Societatis nostræ Novitii singularem Regularum nostrarum amorem & æstimationem cordi suo imprimant; unde alacritas & fervor oriatur omnes quàm exactissimè totã deinde vitã observandi. Pro quo

*Notandum I.* Regulas nostras per se præcisè non obligare ad peccatum ullum, ut declaravit ipse Legislator noster S. Ignatius p. 6. Const. c. 5. Possè tamen peccatum inducere variis modis. *1. ma.* Ratione voti. *2.* Ratione peculiaris promissionis ut Reg. 9. & 40. Summarii. *3.* Ratione scandalii, si regulæ violentur coram aliis, licet illi revera non pervertantur. *4.* Ratione alicujus virtutis, v. g. modestiæ & ædificationis, quam Religiosus maximè Societatis, præbere tenetur. *5.* Ratione notabilis læsionis disciplinę religiosę. *6.* Ratione negligentiz, præsertim in rebus cultûs divini, si oscitanter & perfunctoriè obeantur vel

ex acedia omittantur v.g. meditationes & examina. 7. Ratione contemptus regulæ, vel ipsius Superioris.

*Notandum II.* Etiam si regulæ absque ullo peccato violari possent, & absq; metu pœnæ, generosum tamen Societatis Filium easdem transgredi non debere ex amore vocationis, virtutis, perfectionis & gratitudinis ob vocationem. Hæc enim est lex interna quam Spiritus Sanctus cordibus imprimere solet, ut ait S. Pater noster & hæc charitatis lex ab initio Novitiorum cordibus imprimenda est. *Ad quod sequentia motiva, si crebrò perpendantur, juvare poterunt.*

*I. Regula Societatis nostræ, quid sunt aliud, quàm vitæ spiritualis documenta, & veluti axiomata, ex Christi exemplis ac dictis expressa? Quid sunt nisi dictamina quædam æternæ Dei voluntatis & Sapientię, in mentis divinæ idea primùm descripta, deinde in Christo velut prototypo exemplari proposita, & exinde per Fundatorem nostrum luce Spiritus sancti perfusum excerpta, nobisq; ad hanc religionem vocatis, tanquam absolutissimum perfe-*  
 ctiō-

ctiōnis exemplar exhibita, ut per ea utrūque hoc exemplar meliùs animo concipiamus & ei nos conformemus? Quantū itaq; à regulis recedis, tantum ab his exemplaribus, & perfectionis semitâ desleclis, simúlq; à gradu gratię & gloriæ, in prædestinationis tuæ serie coordinatæ, & in consilio divino ab æterno aliàs dispositæ excidis.

*II. Regula nostræ à S. Patre nostro, non absque afflatu, & instinctu Spiritus divini conscriptæ sunt. Suadet hoc 1. Oraculum Gregorii XV. & Pauli V. Pontificum eas approbantium, & Institutum Societatis esse à Spiritu Sancto aspirante attestantium. 2. Suadet id eximia S. Ignatii regularum ex Constitutionibus desumptarum Conditoris Sanctitas. 3. Idem suadent circumstantię tot precum, considerationum, sacrificiorum & lacrymarum S. P. N. Cum de solis modestię regulis Ministro in earum promulgatione negligenti, contestatus sit, se antequam eas conscriberet, septies & amplius Domino orationes & lacrymas sudisse. 4. Quia S. Fundatori Constitutiones scribenti, per singulos*  
 C los

los dies Divina Bonitas tot lumina, raptus, revelationes & visiones communicavit, ab ipso S. Patre propriâ manu in libellum relata, quem se vidisse testatur P. Hieronymus Platus Lib. 1. de bono statûs relig. c. 25. Quantum igitur ab his regulis, tantum à Spiritu S. inspiratione & instinctu declinas, & S. Ignatii Patris tui preces ac lacrymas flocci pendis.

III. Regula 1. Seps & sepimentum est, teste Euthymio & Theophylacto in c. 21. Matth. quo Christus Societatem suam per S. Ignatium, veluti vineam circumvallavit. *Sepem circumdedit ei*, Matth. 21. ut velut hortum floridum à feris noxiis præservaret. *Qui autem dissipat sepem, mordebit eum coluber* Eccli 10. 2. Regula est firmum antemurale. *Urbs fortitudinis nostra, Sion* (Societas) *Salvator*. *Murus ponetur in eâ* (præceptorum) & *antemurale* (regulorum) Hoc antemurale si illæsum custodieris, longissimè à transgressione mandatorum aberis. 3. Regula sunt instrumenta virtutum, teste S. Basilio & S. Bernardo, sunt velut lineale, ad quod actionum bonarum lineas, absq; curvitate rectâ ad

ad centrum, seu Deum ducimus. Sunt amussis, secundum quam ædificium spirituale ritè ordinamus & solidè construimus. Sunt denique scala, quæ religiosum ad perfectionis & culmen & cælum ducit. S. Romualdus scalam in cælum pertingentem vidit, in qua homines in veste candida ascendebant & descendebant veluti in scala Jacob Angeli.

Quare, ô Tiro Religiose, si non vis ex alto labi in sterquilinum, è religione in mundum, è cælo in orcum, assuesce hanc scalam conscendere, & securus eris. Imprime cordi tuo amorem & æstimationem magnam regulæ. *Audi, Fili mi, disciplinam, Patris tui* (S. Ignatii) & *ne demittas legem Matris tuae* (S. Societatis) *ut addatur gratia capiti tuo*. Proverb. 1. Sequere eam, & in pace vives. *Quicumq; hanc regulam secuti fuerint, pax super illos & misericordia*. Gal. 6. *Pax cum Deo, cum Superioribus, cum domesticis, cum externis, cum teipso*. Et *misericia*. Scilicet *vita animæ & gratia*.

*Signa certa profectus Novitiorum in  
spiritu.*

**S**I Novitius de suo in spiritu & perfectione progressu ambigat: sequentia signa perpendat, & omne dubium facile dissolvat: proficit enim Novitius

I. Si status religiosus, ad quem à Deo vocatus est, indies illi magis, magisque placeat.

II. Si indies crescat affectus ad res omnes Ordinis: Non enim omnibus, quibus placet ordo, res omnes Ordinis arident.

III. Si indies magis, magisque peccatorum numerum imminuat.

IV. Si affectus ad Consanguineos, & Amicos mundanos decrescat.

V. Si minus humiliactiones sentiat.

VI. Si magis, quam antè, ad orationem afficiatur.

VII. Si diligentius quam antè, opera ordinaria perficiat.

VIII. Si adversa, præsertim bonam existimationem lædentia, pati exoptet.

*Delineatio boni Novitii & signa prognostica  
secutura vita bene  
religiosa.*

**N**OVITUS Societatis bonus, ac postea evasurus bonus ejusdem Religiosus, his signis dignoscitur.

1. Nunquam peccatum veniale cum plena deliberatione committit.

2. Nihil occultat, nec occultum vult Superioribus.

3. Non ægrè fert manifestationem defectuum suorum.

4. Pœnitentias etiam ob defectus inculpabiles, libenter admittit.

5. In omnes se vincendi, mortificandique occasiones inquit.

6. Semper loquitur de rebus, ore religioso dignis.

7. In exterioribus ita est compositus, ut prudens censor vix inveniat, quod reprehendat.

8. Avidius libros spirituales legit, qui

piè inflammant affectum, quàm qui curiose pascant intellectum.

9. Cum nullo amicitiam particularem in carne & sanguine fundatam fovet.

10. Amori proprio repugnat in omnibus, contrarium agendo, cum venia Superioris.

11. Voluntarium in oratione, lectione, cæterisque spiritualibus radium eliminat.

12. Non metitur bonum meditationis fructum ex consolationibus; sed ex amore virtutis & fuga imperfectionum.

13. Magno ardet perfectionis & sanctitatis desiderio, non ob utilitatem propriam, sed ob gustum divinum.

14. Minimam minimarum regularum transgressionem fugit, nihil parvi æstimans, quod ad perfectionem conducit.

15. Optat frequentissimè colloqui cum Magistro suo & dirigi 1. Ad cavenda & minuenda peccata ac imperfectiones. 2. Ad consequendas virtutes. 3. Ad perficiendas indies magis, magisque actiones internas & externas.

16. Inter duo bona, quod perfectius est, eligere studet.

17. Nihil in particulari, occupationum, officiorum & locorum eligit, ad omnia resignatus.

18. Semper se lætum ac hilarem, nunquam triticum exhibet aut morosum.

19. De nulla re facile scandalizatur, omnia bene interpretatur, noxia tamen vel communitati, vel delinquenti, vel alteri, manifestare non omittit.

20. Denique ita bene fundatus exit è Novitiatu ad alia Societatis domicilia; id est, cum tanto odio omnis peccati & imperfectionis, cum tanto amore virtutis & perfectionis, ut etiam absque teste & censore non minùs religiosè, perfectè & circumspèctè vivat, atque si versaretur in oculis Superioris, quem maxime reveretur. Et tales pro Indiis & Japonia Socios mitti optabat Indiarum Apostolus S. Xaverius: qui scilicet securè, etiam absque socio, ubique degerent.

Ne longior sim finio, cum adhortatione: *hac fac & vives: vives, inquam, in So-*

50. *Signa prognostica vitæ in religione secut.*  
 cietate jucundè, integrè, perfectè, sanctè :  
 ut Jesu imitorem & Socium decet : tan-  
 tum generosè incipe : nam dimidium fa-  
 cti, qui bene cœpit, habet. *Si incipis, me-*  
*net D. Bernardus L. 5. ad Fratres de monte:*  
*incipi perfecte, nam si perfecte incipis, citò*  
*ad perfectionis culmen pervenies.* Et Ange-  
 lorum instar per scalam Jacob & virtutum  
 omniū gradus ad apicem & Deum ascen-  
 des. Quod si verò principia hæc neglexe-  
 ris : crede mihi, nunquam totā vitā in se-  
 quente, fervorem Jesu socio dignum de-  
 monstrabis. Ut enim lumine nature agno-  
 vit Aristoteles. Polit. c. 1. *Impossibile est,*  
*ex primo errore in principio commisso, non*  
*pervenire ad extremum mali.*



IN-



Vera effigies  
 B. ALOYSII GONZAGÆ,  
 ex Marchionibus Castilionis  
 Religiosæ Societatis Jesu  
 anno Domini 1592. ætatis 23.  
 XXI Junij in Coll. Romæ defuncti,  
 à Paulo P.P.V. Beatificati,  
 ad vitæ Castilionis expressa.

Henricus Cave sculpsit

# INSTRUCTIO III.

Pro Scholasticis Societatis, tam  
Philosophica, quàm humaniora  
studia repetentibus.

§. I.

*Aurea monita diligenter ob-  
servanda.*

**M**onitum I. sit, quod P. Balthasar Al-  
varez Collegii Salmanticensis Re-  
ctor suis inculcabat Scholasticis: scilicet  
oportere Spiritum cum literis coniungere,  
virtutem cum scientia. *Ha,* inquit *ebat c. 29.*  
*vix, sunt gemina illa arbores paradisi, arbor*  
*vita, & arbor scientia: ha sunt duo lumina-*  
*ria, toti mundo lucentia, luminare majus &*  
*luminare minus, quorum alterum sine altero*  
*nequit subsistere: Litera enim (Sola) occi-*  
*dit; spiritus autem vivificat. 2. Cor. 3.*  
*Scientia (Sola) inflat: caritas autem adif-*  
*icat. 1. Cor. 8. Hactenus, agebat, quidam*  
*P. Provincialis, Scholasticis, è Tirocinio*  
*ad studia recolenda discendentibus: decli-*  
*nare didicistis, peccata scilicet & imperfe-*  
*ctiones; nunc discendum est conjugare,*  
*virtutem cum scientia.*

*Mo-*

*Methodus conjungendi virtutem scientia. 83*

*Monitum II. Methodum verò virtu-*  
*tem cum scientia conjungendi præclare*  
*tradit, optimus Scholasticus Joannes Berg-*  
*mannus, pag. vitæ 247. ita scribens: Bo-*  
*nus Scholasticus Societatis Jesu 1. Præter*  
*gloriam Dei & animarum fructum, nihil*  
*intendat. 2. Sit devotus & addictus oratio-*  
*ni gratiamq; proficiendi saepe petat. 3. Soli-*  
*darum virtutum & religiosa vita amore*  
*flagret. 4. Examen generale & particulare*  
*diligenter exerceat. 5. Sacro quotidie devo-*  
*tissime intersit, & devotè octavo quoq; die*  
*communicet. Hæc enim vehementer cordi*  
*habuisse S. P. Ignatium, dum Parisiis stu-*  
*deret, refert Massæus L. 1. c. 19.*

*Monitum III. Modum quoque, vice*  
*versa, conjungendi scientiam cum virtute*  
*idem ex Scholasticorum Regulis hæc ver-*  
*bis exponit, 1. Persuadeat sibi, quod studere*  
*secundum mentem Societatis sit magni me-*  
*riti. 2. Quoad genus studiorum & Præce-*  
*ptores indifferentem se exhibeat. 3. Serio*  
*& constanter animum ad studia adiciat. 4.*  
*Præfixam temporis divisionem exactè ser-*  
*vet. 5. Nullos nisi à Præsidente præscriptos Li-*  
*bros usurpet. 6. In audiendis, prævidendis,*

*re-*

repetendis, examinandis lectionibus, aliisque componendis, omnem assiduitatem ac diligentiam impendat. Hac ratione literas cum spiritu conjunget.

*Monitum IV.* Cùm Novellus Religiosus Societatis ex Tirocinio ad Collegium missus, in illa loci, rerum & Collegarum mutatione seipsum subinde non capiat, & primum spiritum perdendi pericula adeat; ne id accidat: hæc quæ sequuntur monita, tanquam antidota efficacissima adhibeat: statuaturq; à primo suo spiritu & fervore, consuetisq; exercitiis pietatis, ac bonis consuetudinibus & observantiis, in Novitiatu haustis, nec latum quidem unguem desistere.

*Monitum V.* Primò igitur, methodum orandi, meditandi, legendi, colloquendi, agendi cum Patre Spirituali, examinandi conscientiam, formandi intentiones, peccata expiandi, synaxin adeundi, exercendi virtutes obedientiæ, paupertatis, mortificationis, charitatis fraternæ & humilitatis, quam in Novitiatu didicit, firmissimè teneat, indies perficiat, atq; ad ultimum usq; spiritum non dimittat. Quemadmodum

enim

enim opitex aut studiosus artem aut scientiam non discit pro solo studii tempore, sed pro tota reliquâ vita, sic & Societatis Novitius.

*Monitum VI.* Actiones externæ & adia-phoræ, aliæ communes sunt Novitiis cum Collegis: aliæ solis propriæ Collegis. Communes sunt, edere, bibere, dormire, officia publica in refectorio & culina, aut privata in cubiculo, aut exercitia quædam corporalia & humilia. Et has actiones Scholasticus studia recolens eodem prorsus modo obeat, quo ea obeunda didicit in Novitiatu. Actiones Collegis propriæ sunt, quas de novo primùm assumit, ut vacare literis, legere, componere, scribere, disputare: & his applicet tantum illum modum, quem in Novitiatu didicit operibus externis adhibendum, eandem intentionem, modestiam, resignationem, aliasque virtutes. Quâ igitur curâ & perfectione invigilavit spiritui suo in Tirocinio, legendo, scribendo; eandem invigilet salutis & perfectioni alienæ, legendo studendo. Quâ perfectione legebat libros spirituales in Tirocinio; eadê legat studiis suis opportunos

tunos

tunos in Collegio. Quâ simplici ate & indifferentia se suâque curæ Dei & Superiorum concredebat in Tirocinio, eâdem utatur in Collegio. Quâ resignatione ac mansuetudine expectabat, acceptabatque officia in singulas, alternâsq; hebdomadas in Tirocinio; eâdem illa expectet in Collegio. Qua curâ excubabat in minimas mortificandi, abnegandi, humiliandique sui, charitatis aut obedientiæ occasiones in Tirocinio, eâdem excubet in Collegio. Et sic omne prorsus fervoris primi minuendi periculum evadet; imò seipsum indies perficiet.

*Monitum VII.* Non imaginetur sibi jam omnia bella esse finita; jam satis datum observantiæ, durioriq; vitæ: jam sibi licere Custodibus procul vivere; jam sibi majorem libertatem, dissolutionemque competere; permissumque in regularum & disciplinæ observantiam impune peccare: hoc enim esset initium præcipitii, hoc esset paulatim effici juveniculum indomitum: hoc esset tradi in reprobum sensum, & in animum irreverentem & infrunitum; quo quid dampnabilius?

*Monitum VIII.* Meminerit se esse velut chartam candidam, ceram mollem, aut tabulam rasam, in qua vel aurei virtutum, vel atri vitiorum, libertatis, laxitatisque characteres depingi queant, tota vitâ sequente vix delendi. Attendat proinde & videat cui se permittat, & non cujusvis, sed potiùs Superioris, aut Patris Spiritualis ductum sequatur, qui Dei locum tenent; ne fortè alios incautè sequendo, velut cæcus cæcum, ambo in foveam cadant.

*Monitum IX.* Ternis hisce fundamentis, totum suum ædificium spirituale superstruat; iisque immobiliter inhæreat. 1. Ardentem & inconcussam vocationis suæ amorem semper retineat, & si insperata quædam, arudâque objecta occurrant, ne diaboli tentatione accedente præcipitetur, candidè ea Superiori aperiat, & facilè victor erit. 2. Ardentem & robustum amorem perfectionis, famémque insatiabilem omnigenæ virtutis constanter conserveat, ne vitia latentia reviviscant, & Caro, Mundus ac Diabolus Spiritui prævaleat. 3. Hæretæ in Tyrocinio institutioni, piisq; consuetudinibus, animo tam obfirmato, resolutôq;

inhæreat; ut nec ullâ verecundiâ, nec distiteris ullis, jocisve ab iis absterreatur; sed veluti Marpesia cautes perstet, nec erubescat Christum & Evangelium: Sic vel irrisorem admiratione complebit.

*Monitum X.* Non sinat se aut affectu vehementiore, aut æmulatione, aut Dæmonis fraude ita absorberi studiis, ut tempore exercitiorum spiritualium, meditationis, orationis, examinis, animum occupet, aut ad ea decurtanda, temporisve ordinem invertendum inducat. Ingens enim inde nascitur damnum spiritûs, & inimici lucrum. *Quærite primum regnum Dei & justitiam ejus, & hæc omnia adjicientur vobis.*

*Monitum XI.* Si fortè notet in Collegarum aliquo defectum quendam, exemplum minus bonum, regulæ transgressionem, factâve seniori cuidam immunitatem, dispensationem, exemptionem, conniventiam Superiorum, laxitatem, commoditatem, superfluitatem. Interpretetur in meliorem partem, nec statim damnet. *Nolite judicare.* Nec illico idem sibi quoque licere arbitretur, sed optimum quemque

que sequatur, apum more è floribus mel, non venenum sugat.

*Monitum XII.* Conversationem cum externis devitet, & familiaritatem cum adolescentibus curæ suæ ab obedientia non commissis. Atq; in omni conversatione cautus sit, ac tuta timeat, ne ruinæ occasior em præbeat.

*Monitum XIII.* Conversationem quoq; cum Consanguineis fugiat: solent nonnulli novelli religiosi initio inviti illos accedere; sed sensim hæc hausta in Tirocinio pia repugnâta minuitur, ac deniq; omnino tollitur, conversatio dulcescit, amor sensualis reviviscit, & sic spiritus in tepefcit, & anima religiosa rursus Mundo, carni, & sanguini agglutinatur, pristinisq; tum amoribus & desideris, tum curis & sollicitudinibus irretitur.

*Monitum XIV.* Cubiculi sui Scholasticus studia recolens amator sit, extra illud, absq; necessitate in ambulacris, locisq; publicis non hæreat; nec aliis forte loquentibus sese adjungat. Hac ratione, multa inutilia non audiet, silentium non violabit, tempus pretiosum non perdet, sed officio suo probè fungetur. *Mo-*

*Monitum XV.* Ubi primum Collegium aliquod intraverit, recolligat se aliquot diebus, & qualiter in eo vitam suam instituere debeat, dispiciat, certa tempora pijs exercitijs designet, omniaque ordinet, tempora, loca, occupationes, occasiones.

2. Com Superiore, Patre Spirituali & Professore notitiam contrahat, & ab his dirigi postulet & instrui. 3. Libellos suos è Tirocinio collatos & proposita relegat. 4. Ab initio statim virtutis & disciplinæ Religiosæ studium profiteatur, etiam in minimis & obviis rebus. 5. Curiositatem sciendi, videndiq; inutilia caveat; ac deinceps partitionem temporis accuratè servet, & omnibus etiã minimis particulis temporis occupationem bonam adnumeratam habeat, quæ vel doctrinam vel pietatem redoleat. *Vide P. Gasp. Drutzbiczki, de vit. nov. relig.*

## §. II.

*Prava dictamina cavenda.*

**S**cholasticus, studiis repetitis, Collegium recenter ingressus, sequentia, non scholæ Christi, sed Anti-Christi caveat

veat prava dictamina; nec ea vel sibi ipsi efformet, nec ab aliis temerè hauriat; sed ea tanquam pestifera & diabolica principia, exemplo Christi Sathanam confutantis, refellat.

*Dictamen I.* Non sum amplius Novitius. Huic Scholasticus opponat illud S. Antonii Abbatis: *Admoneo vos, ô viscera mea! ne tanti temporis laborem repente perdati; Hodie vos religiosum statum arripuisse arbitramini.*

*Dictamen II.* Non tanto rigore opus est in Collegio, quantum exigebatur in Tirocinio. Reponenda communis parcemia: *Ubi rigor, ibi vigor*, ubi vigor, ibi perfectio, major autem perfectio in Collegio, quam Tirocinio exigitur.

*Dictamen III.* Rigor continuus obest valetudini; arcus semper tensus facile rumpitur, nullum violentum perpetuum. Reberat Scholasticus illud Bergmanni: *Disrumpar potius, quam vel minimam ordinationem, aut regulam voluntariè sanitatis gratiã transgrediar.* Religio est perpetua naturæ violentia.

Dicta-

*Dictamen IV.* Regula sub peccato non obligat, consilii non præcepti est. Respondeat cum cœli incolis Apoc. 4. *Dignus es Domine Deus noster accipere gloriam & honorem & virtutem.* Etiam absq; obligatione: hoc liberale, alterum servile est.

*Dictamen V.* Regula non scrupulose & pueriliter ad literam, more Novitiorum; sed libere & liberaliter ad sensum & usum explicanda est. Verum oggerat sibi Scholasticus, quod Deus olim S. Francisco ingeminabat: Franciscæ ad literam, ad literam. Quis te regularum interpretem constituit?

*Dictamen VI.* Licet hoc aliis, cur non mihi? habent & alii intellectum, doctrinam, probitatem. Reponat illud Christi: *Quid ad te, tu me sequere?* Attende tibi & regulæ: non venisti homines sequi, sed Christum.

*Dictamen VII.* Utinam non essent peccata graviora, nec transgressiones nocentiores his vel illis! Respondeat: *Qui spernit modica, paulatim decidet.*

*Dictamen VIII.* In istis minutiis vera sanctitas sita haud est; sed in virtutibus so-

solidis. Reclamet novellus Religiosus cum Christo. Luc. 16. *Qui fidelis est in minimo, & in majori fidelis est: & qui in modico iniquus est & in majori iniquus est.* Hæc minima aliis jam solidatis fortasse necessaria non sunt, at mihi infirmo unicè.

*Dictamen IX.* Indecens est, ut Tiro veteranos reformare velit. Respondeat, non reformare quenquam volo, sed nec deformari à quoquam patiar.

*Dictamen X.* Vita communis tenenda, singularitates vitandæ, ne exoticus habeat & aliis displiceam. Reponat: *Si adhuc hominibus placerem, Christi servus non essem,* ad Gal. 1. Non ad exempla, sed ad regulas vivendum est; vita communis est ire, non quâ multi eunt; sed ire, quâ omnes debent.

*Dictamen XI.* In Societate plûs profunt docti & magnorum talentorû, quàm Sancti & modesti. Sed opponat se cum S. Fundatore & universa Societate, præcipiente, ut omnes ejus Filii in solidarium, perfectarumq; virtutum studium incumbant, & in iis majus momentum esse ducant, quàm in ullis bonis externis, donisq; naturalibus,

cura

*Monita pro renunciatione cum illa interiora sint, ex quibus vim & efficaciam ad hæc exteriora promanare oportet.*

Ex quibus omnibus Scholasticus Collegium ingressus vel ad studia recolenda, vel ad docendum, statuat haustus in Novitiatu fundamentis firmissimè inhærere, omnibûsq; dictaminibus, obstaculis ac respectibus perruptis, statim initio vitæ accuratè specimen præbere, identidem cum Jobo sibi proponens: *Justificationem, quam cæpi tenere, non deseram. c. 27.* Et cum Joanne Bergmanno clarissimo Scholasticorum fidere: *Non erubescam facere omnia illa, qua doctus sum in Novitiatu.*

### §. III.

*Monita pro renunciatione bonorum temporalium, Repetentibus observanda.*

**Q**uadiennem ab ingressu Societatis bonorū possessionem censuit Congregatio VII. Dec. 17. Scholasticis nostris permittendam, juxta ordinationem Patris nostri Claudii. In cujus temporis prorogatione nulli præterquam Patri Generali, id-  
que

que ex gravi causa dispensare liceat. Expleto autem quadriennio, modò vicefirmum ætatis annum atigerit, & in vocatione stabilis persistat, ex Reg. 88. Provinc. Scholastico bona abdicanda sunt: quod ut secundū Regulas perfectionis & mentem S. Fundatoris nostri præstet, hæc monita lucem adferent, ne, ut nonnullis accidit, hallucinetur.

*Monitum I.* Scholasticus, quamprimum licet & potest, bonis suis se abdicet, nec exspectet donec ab aliis extimuletur. Non possum capere, scribit P. N. Vincentius Carrassa in ep. de med. Quo pacto sæculum tenaci proposito cum familia religiosa mutarit, qui sæculi sarcinam & impedimenta gestit nihilominus circumferre: multò minùs, qui possit Christo devinctus & cælo consecratus, terræ libens affigi, & terrenis vinculis gaudere.

*Monitum II.* Bonorum autem distributio, ut præscribit S. Pater noster c. 4. Exam. §. 1. & p. 3. c. 1. *Primum in res debitas & obligatorias, si qua fuerint, & tunc quàm citissimè fieri potest facienda est: Si verò tales nulla fuerint, bona in pia*  
san-

sancta opera, iuxta propriam devotionem, seu pauperibus distribuenda sunt, & omnis fiducia submovenda, eadem ullo tempore recuperandi; juxta consilium evangelicum, quod non dixit, da Consanguineis; sed pauperibus: ut id, quod perfectius est, sequatur, inordinatus affectus ad carnem & sanguinem exuatur, & ad eos recurrendi aditus præcludatur.

*Monitum III.* Itaq; Scholasticus bona sua non donet Consanguineis divitibus. Consilium Christi est, da pauperibus. Lucæ 18. Unde S. Hieronymus ad Deme- triadem scribit: *Si vis perfectus esse, da pauperibus, non divitibus, non propinquis, non ad luxuriam, sed ad necessitatem: nil aliud consideres in illis, quam paupertatem: laudent te esurientium viscera, non ructantium opulenta convivium.* Et S. Bernardus: *Res, ait, pauperum, pauperibus non dare, par sacrilegii crimen esse dignoscitur.* Atque hæc intellige, quantum citra scandalum, rixas & inimicitias, inde, ut docet S. Basiliius reg. 5. sup. *Oriri solitas, fieri potest.* Idem habet ordinat. Gen. c. 10. §. 10. *Ut pacis erga omnes & ædificationis ratio*

tio potius habeatur, quam commodi ullius temporalis.

*Monitum IV.* Quodsi verò Consanguinei verè sint pauperes & indigeant; juxta ordinem charitatis, cæteris paribus, aliis pauperibus præferendi sunt. Indicat id Ordinatio Generalis antè citata, his verbis: *Attendatur, an is, qui disponit Consanguineos pauperes habeat.* Laudat id quoque S. Ambrosius 1. Offic. c. 30. ita scribens: *Est & illa probanda liberalitas, ut proximos seminis tui non despicias, si egerere cognoscas: melius enim est, ut ipse subvenias tuis, quibus pudor est sumptum ab aliis deprecari, aut alicui subsidium postulare necessitati: non tamen ut illi ed ditiores fieri velint, quod tu potes conferre pauperibus: neque enim propterea te Domino dicasti, ut tuos divites facias.* Hæc Ambrosius. Sic S. Antonius partem bonorum concessit amicis, teste S. Athanasio, & S. Fulgentius Matri indigenti.

*Monitum V.* Si dubitaret Scholasticus, num Consanguinei verè essent pauperes, & num majoris perfectionis foret, dare Consanguineis hujusmodi bona, quam

aliis, propter parem vel majorem ipsorum penuriam, res transigenda est, ad declinandum erroris periculum, ex arbitrio aliorum, scilicet, unius, duorum, vel trium, quos cum approbatione Superioris, renuncianturas elegerit, ut praescribit S. Pater noster in Exam. c. 4. §. 3. Et horum iudicio securè stabit.

*Monitum VI.* Si quis motus suâ devotione, vellet bona sua, vel eorum partem, in Societatis subsidium dispensare, ex mente S. Patris nostri p. 3. Const. c. 1. Lit. H. haud dubiè opus faceret majoris perfectionis, alienationis & abnegationis universi amoris proprii, non descendendo tenero quodam affectu ad particularia; quin potius exoptando majus & universalius bonum Societatis, ei, qui ejus universæ curam habet, judicandum relinquat, num applicari huic potius loco, quam illi in eadem Provincia, ipsius bona debeant: quandoquidem ille melius, quam quisquam alius intelligere potest, quid conveniat & quid maximè urgeat in omnibus ejus locis. Nichilominus si animi propensio in quoquam cerneretur ad determinatum locum, certior

tior fiet Præpositus Generalis, ut diciat, an sit aliquid hujusmodi imperfectionis tolerandum, sperando, quod ea cessabit aliquando, supplebitq; Divina Bonitas, quod ad majorem ipsius perfectionem deesse cernitur. Ita ad verbum S. Fundator l. c.

*Monitum VII.* Denique Scholasticus Societatis bona sua omnia integrè abdicet, nihil sibi reservans. Error, ait P. Canala, epist. citatâ, eorum, qui abjiciunt quidem sua; sed ex iis aliquid sibi seponunt; sicq; illa volunt Deo consecrata, ut inde sibi partem retineant. Non placet hæc in Domo Dei sectio timida & diffidens. Christus apud Lucam c. 18. *Omnia, inquit, quæcumq; habes, vende:* ut nudus nudum Christum sequere. S. Hieronymus epist. ad Demetriadem: *si vis*, ait, *perfectus esse, non partem bonorū tuorū vendas, sed omnia:* & S. Bernardus in illud: *Ecce nos reliquimus omnia*, scribit: Religiosus nihil sibi retineat, nihil suis, ne modicum fermentum totam massam corrumpat. Imitetur itaque Scholasticus R. P. Mauritium de Biren, qui promptissimo animo sua dimisit Dominia; & rogatus num in tam amplis fortunis relinquendis difficultatem experiretur, illicò subjunxit, sibi non magis arduam, difficilèmq; videri istam, sed & bonorum omnium totius mundi abdicationem, quàm si pomum puero donasset. In vita m. f.

*Hæc qui servaverit, mentem S. P. N. & Societatis in distributione bonorum explebit, & gaudebit in die novissimo.*

# INSTRUCTIO IV.

## Magistrorum docentium.

### §. I.

#### *De præstantia & utilitate doctioris.*

I. **T**anta est doctioris Magistrorum Religiosorum præstantia, excellentia, & perfectio, ut Doctor Angelicus disertè asseverare sit ausus 2. 2. q. 114. a. 3. ad. 3. *Actum ex charitate docendi alios, esse perfectiorem, quàm actum Martyrii, consideratum secundum propriam speciem actus.* Ideoq; viri etiam sanctissimi & gravissimi hoc munus in se suscipere, docendæ juventutis, ut S. Hieronymus, S. Basilus, S. Benedictus &c. Aded ut Balduinus Moriau in Hist. Bened. asserat, omnia Cœnobია fuisse Gymnasia, & omnia Gymnasia Cœnobია. Secuti horum exempla, Canonici Regulares Præmonstratenses, Dominicani, Franciscani, aliq; Ordines ante conditam Societatem.

II. Quanti verò ex eruditione atq; informatione juventutis, in tenellos animos, ad totam deinde Remp. Christianam fru-



S. CATHARINA  
VIRGO MARTYR.  
Sponsabo te mihi  
in sempiternum of. 2.

fructus deriventur, totus mundus clamat. Movit id S. Patriarcham nostrum, ut hoc munus, unum ex propriis & primariis Institutum nostri functionibus esse voverit.

III. Movit id quoq; viros in Societate præclaros, ut omnem propè vitam suam libenter huic sanctæ functioni consecrarent. Nam docendis humanioribus literis P. Wolfgangus Schönleederus impendit in Germania annos 21. P. Jacobus Pontanus annos 27. P. Horatius Turfellinus Romæ annos 22. P. Melchior de la Cerda in Provincia Bætica annos 41. P. Gaspar Sanchez in Provincia Castellana annos 42. In eadem Provincia P. Petrus de Salas annos 48. Et P. Ludovicus de la Cerda in Provincia Toletana, mirabili constantia annos omnino 50. Eminuit hos inter, fructu uberiore P. Joannes Bonifacius, qui licet à P. Generali ad studia Theologica invitaretur, gratis actis, pueris erudiendis operam suam, 40. & amplius annis, usq; ad mortem impendit, tanto discipulorum profectum etiam in pietate, ut ex illis supra mille ducentos ad Ordines Religiosos transierint, ut refertur in Biblioth. Script. Soci.

Horum exemplo Magister Religiosus excitet se, desideriumq; ardens teneras juvenentis Christiana plantulas rectè formandi, atq; omni pietatis, scientia & virtutum genere imbuendi concipiat; nec fatigetur, nec sub onere fatiscat, tantorum fructuum copiâ animatus. Pro quo ei servient sequentia documenta.

## S. II.

## De pietate &amp; virtute Discipulis instillanda.

I. **D**ocumentum. Magister gratiam fructuosè discendi & docendi crebro à Deo postulet, imitans B. Aloysium, qui antequam Gymnaliū intrandi signum daretur, atque indidem domum reversus, cum ante, tum post meridiem, ædem sacram adibat quotidie, sanctissimæ Eucharistiæ adorandæ gratiâ L. 2. vitæ c. 5. Idem Magister faciat, & discipulis f. Citandum suadeat, profectumq; in literis plurimum à pietate pendere ostendat, exemplo D. Thomæ Aquinatis, B. Alberti M. B. Stanislai & aliorum. *Pietas ad omnia utilis*, 1. Tim. 4.

II. Magister conetur purissimam solius gloriæ divinæ & salutis animarum, intentionem, omnibus suis laboribus scholasticis præfigere, absq; omni fumo inanis gloriæ, præsertim in publicis declamationibus, affixionibus, Comœdiis, ne aliquando à Supremo Judice audiat; Recepisti mercedem tuam. Ac proinde initio doctio- nis, secundum regulam, signo crucis se palam muniat, quod & discipulos facere & horis singulis renovare jubeat.

III. Inter docendum & explicandum, datâ vel captatâ occasione, pii quidpiam subinde inspergat: qualia sunt apti textus S. Scripturæ, Sententiæ SS. Patrum, dicta & facta Sanctorum, variâq; salubria monita & documenta. Idem præstandum in pensis quotidianis, prosa, carminæ, quæ pietatem redoleant.

IV. Antequam ad sacrum Discipuli vadant, publicè in verba intentionis Magister præzet, quæ interpolatim Discipuli repetant flexis genibus. Ut verò pietas hæc gratior accidat, intentiones, secundum hebdomadæ dies ut in Horolog. Schol. ad horam 4. notatum, varientur. v. g. Hodi-  
erna

erna die offero sacrum, rosarium & reliqua diei opera, per S. Angelum Custodem meum SS. Trinitati, ut me in innocentia custodiat, ut oculos, ne videant vanitatem, avertat: aut in gratiarum actionem pro variis beneficiis, aut in satisfactionem pro peccatis, aut ad impetrandum lumen & gratiam in studiis. Hæc ratione Magister indies in manu sua habet tot sacra & rosaria, quot discipulos, ad multa pro se suisq; beneficia impetranda.

V. Magister doceat Discipulos suos methodum piè audiendi sacrum, præxin salutandi sanctissimum Sacramentum in ingressu templi, orandi sub elevatione, communicandi spiritualiter &c. Item modum exactè ministrandi sacro, cum verò munus id angelicum sit, illud non sordidis & scabiosis, sed solis propè sodalibus, usque bene instructis & nitidis concedat. Prædictorum præxes reperire est in Horologio Juventutis. Tempore sacri crebrò suos visitet, & advertat, num orent, suamq; illam pietatem Deo gratissimam esse reputet: oratio verò fiat, junctis manibus, Magistro prælucente.

VI. Instruat eos in modo peccata rite expiandi, quoad numerum & speciem peccatorum, tam interiorum quam exteriorum (prudenter tamen & pro capacitate Discipulorum, ne eos doceat, quæ nescire præstat). Doceat quoq; illos praxin eliciendi attritionem, contritionem, propositum emendationis, cum iis quæ ante & post exomologesin in tribunali sacro à pœnitente dicenda sunt. Invigilet quoque, ut quisque certum & eundem conscientiæ arbitrum constanter adeat, cuius nomen in scripto Magister asserver, ut eidem pro instructione & directione discipulum commendare valeat. Similiter in praxi se præparandi ad sacram synaxin & post eam gratias agendi, probè discipulos informet.

VII. Exhortationes habeat Professor captui Discipulorum accommodatas, juxta scholæ cujusq; gradum: sæpe utatur exemplis, historiis, similibus, è Pædagogo Christiano, Paradiso puerorum, aliisq; probatis historiis depromptis. Exhortatione finitâ examinet, quid quisque observaverit, tum ut attendant diligentius, tum ut altius menti infigant audita.

VIII.

VIII. In tradenda catechesi, caveat, ne majorem horæ partem, in recitandis lectionibus, verbisq; latinis vernaculè interpretandis, dictandisve verborum sensibus extrahat: sed potiùs explicandis clarè fidei nostræ mysteriis, & dogmatibus diutiùs inhæreat, eaque exemplis, rationibus, & similibus illustret, ac plures examinet, num bene percepta fuerint. Instruat quoque rudes in facilioribus fidei controversiis, ne fundamentis fidei careant, & ad Hæreticorum terras aliquando delapsi turpiter à fide deficiant. Nec recitent Catechismum more psittacorum; sed ita intelligenter, ut interrogati, v. g. quid est Ecclesia, quid Confirmatio, quid extrema unctio, rem ipsam, licet non ad verbum, declarare possint, & linguâ vernaculâ exprimere.

IX. Sodalityatis Præses curet, ut Sodalityas tam Angelica quàm Mariana floreat, atq; ad illam non admittantur sine delectu, nec nisi pietatem & modestiam competentem probârint. Leges Sodalityæ sapius prælegantur, negligentes moneantur, si aliquoties moniti defectus non emendent, ad tempus, vel omnino excludantur, præ-

ser-

fertim enormiter malè le gerentes. Signent quoq; nomina sua in Tabella onomastica, ut absentię ratio Præsidi constet. Exomologeses pro Sodalitate, & potissimum menstruæ, earumve omissiones, si gnò aliquo notètur in distincto lineis duodenis catalogo, in apice menses, à linea Sodalium nomina, ordine alphabetico, exhibente, quo per anni decursum negligentès moneantur, & sub anni finem in catalogo examinis, notæ pietatis faciliùs designentur. Ut verò pueri in infima Grammaticę ad confessionem hebdomadariam nimium adstringantur, viri prudentes non suadent, ob periculũ, ne ex consuetudine absq; dolore & emendationis proposito, vel ob respectum Magistri confiteantur: Nisi is die sabbatino præviè ad dolorem eliciendum in schola illos disponeret.

X. Diebus Sabbatinis à meridie, ultimâ mediâ horâ, non est prælegendus unâ serie, liber pius: quia minor inde fructus percipitur; sed potiùs habenda est practica instructio, v. g. de modo piè surgendi, manè orandi, intentionem formandi, confitendi, communicandi, sacro ministrandi,

conscientiam examinandi, rosarium, officium B. V. recitandi, aliisq; praxibus, quæ videri possunt in Horologio Juventutis. Item de bonis & malis moribus. Legendę quoq; quot mensibus regulæ studiosorum, & nunc hæc nunc illa explicanda atque inculcanda.

XI. Magister singulari cura & industria septena hæc puncta suis Discipulis, ab initio doctioris ad finem inculet. 1. Timorem & amorem magni Domini Dei nostri: qui sunt duo poli & cardines vitæ nostræ, initium sapientię & finis. 2. Horrorem peccati mortalis, quod malum est, ex quo prodit omne malum. 3. Affectum & gustum orationis, ut libenter orent, qui fons est omnis boni. 4. Tenerrimum amorem erga magnam Matrem, S. Angelum Tutelarem, S. Josephum, aliòsque Patronos: qui in seductionis, corruptionis, aut damnationis æternæ periculis opitulabuntur. 5. Singularem amorem, honorem, reverentiam & obedientiam erga Patres, majores & Magistros, ut sint longævi super terram. 6. Exactam methodum perfectæ exomologeses & synaxeos. Illa

enim est secunda post naufragium tabula, quâ plerique suo tempore summè indigebunt. Hac est antidotum contra mortale venenum peccati longè efficacissimum. 7. Denique memoriam Novissimorum, præsertim inferni & æternitatis: quæ sunt omnium terribilium terribilissima, & potentissima contra omne peccatum fræna.

XII. Præses Sodalitatis, aut Magister, Sodales B. V. adultiores doceat practicè modum meditando; & tres modos orandi, qui ad meditandum disponunt: hac enim ratione faciliùs & peccatorum horrorem concipient, & ad studium virtutis excitabuntur. Beatus Aloysius adolescens adhuc sæcularis; mysteria vitæ Redemptoris, non sine lacrymis, raris luminibus, & inflammatis affectibus meditabatur. In Italia Confessarii Sodalium, pœnitentibus meditando præxin accuratè tradunt, cum magno adolescentum in virtute progressu, teste P. Lancicio in opusc. de Super. c. 19. Tempus hæc aliâque docendi, præter semihoram sabbatinam dabit quadrans ante horam, diebus festiis & Dominicis: sic quoq; adolescentes meliùs dispositi ad oran-

orandum, sacrum audiendum accedent. Ne verò receptus & laudatus in hac Provincia usus hunc quadrantem lectione libri pii, vel instructione sacra transigendi, in desuetudinem abeat, sollicitè curandum erit.

XIII. Doceat Magister Discipulos suos, juxta eorum capacitatem, mores inurbanos & rusticos deponere, pravas consuetudines tollere, iram, impatientiam, cerebri pertinaciam frænare, idque usu examinis particularis. Arbores tenellæ, curvæ flexi queunt, non annosæ: passio-num funiculi, si à teneris non frangantur, excresecunt cum annis in rudentes, qui ad inferos detrahunt. Doceat quoq; eos gulam bolo aliquo delicatiore defraudare; feriâ sexta ad honorem Christi crucifixi, aut sabbato in honorem B. V. ac pro felici morte jejunare, aut pridie sacræ synæxeos majore saltem temperantiâ cœnare, pro excitanda vel augenda cibi cœlestis orexi. Licet non cum eo rigore, quo B. Aloysius adhuc sæcularis, qui feria quarta, sexta & sabbato jejunio rigido carnem macerabat, & quidem feria. 6. solo pane & aqua contentus. L. 1. c. 6. XIV.

**XIV.** Intruat suos, præsertim adultiores in usu operum pœnolorum: exemplo S. Joannis Baptistæ in tenera ætate pelle cameli carnem atterentis, idque faciant vel pridie communionis, vel sabbato ad honorem B. V. vel feria sexta ad honorem Christi patientis, vel in pœnam & vindictam peccati cujusdam gravioris. Cujusmodi opera pœnosa sunt 1. flagellatio seu usus disciplinæ, ut vocant, seu funiculorum nodis implexorum, quod in hyeme ob frigoris acrimoniam, etiam in brachio fieri potest, aut paululum supra genua. Præluxit B. Aloysius, adhuc sæcularis. L. 1. c. 6. 2. Usus catenulæ aut cinguli cilicini, ranquam vestis immortalitatis. In quo rursus prævit B. Aloysius l. c. 3. Esse potest, duriusculè cubare v.g. in quadragesima feria 6. Vel pridie communionis. B. Aloysius studiis vacans, lodicibus asserculum supponebat. 4. dum soli versantur in cubiculo, expansis brachiis orare quinquies orationem dominicam & salutationem angelicam, ad honorem quinq; Christi plagarum. Orare aliquamdiu nudis genibus, sed non nisi in ætate, nec super lapide, sed as-

serere. Proderunt hæc ad celerius obtinendū, quæ desiderantur.

**XV.** Instruat Professor Athletas suos pugnare & debellare tentationes, præsertim contra callitatem. Præter novena amuleta in Horologio Scholasticorum ad horam 6. præscripta hîc adjicio terna sequentia. 1. Est à P. Bernardino Realino in vita & à morte miris patris clarissimo, Juveni cuidam contra fœda nocturna somnia remedium flagitanti, datum: Vesperis inquit, prope cor ter signa te signo crucis, tertio dicens: per sanctam Virginitatem tuam, purissima Virgo emunda carnem meam, in nomine Patris & Filii & Spiritûs Sancti. 2. Alterum remedium est, ingruente tentatione, de alia re diversa cogitare, compositionem thematis aut metri inchoare, in locum solitarium non secedere; sed potiùs cum socio bono sermonem instituere. Item tentationes conscientie Arbitro aperire. 3. Tertium est tentationi materiam subtrahere. Subtrahere ligna foco, si vis extinguere flammam. Quid oleum flammæ adjicimus? quid ardentis corpusculi fomenta ignium mini-

stramus (ait S. Hieronymus ad Eustoch.) Vinum & adolescentia duplex est incendium voluptatis.

XVI. Hortetur Magister Discipulos, ut legant Libros pios, quadrantis unius vel medię horulę spatio, saltem Dominicis & festis. Delectabantur his B. Aloysius & B. Stanislaus literis operam dantes. Eo fine in variis sodalitiis hujusmodi libelli asservantur, ut inter Sodales distribuuntur.

XXII. Pridie Calendas Januarii eligatur Patronus Annuus, uti & pridie Calendas mensis ejusve Patronus mensiuus: electio fieri potest vel sortitione, è pluribus schedulis Sanctorũ primariorum istius mensis nomine signatis, unam extrahendo, quę Patronũ determinet: ejus deinde nomen thematis describendi initio præfigatur, totiusq; mensis decursu colatur, & invocetur. Indies quoq; , si parumper ante sacrum, dum alii exeunt, præstolandum sit, prælegatur vel ex fastis Marianis, vel ex anno Cœlesti P. Nadali vita Sancti, vel Sanctorum istius diei. In honorem B. V. aut Patroni scholam verrere, honorarium sit, non pœna.

XVIII. R. P. Julius Brignole, fama sanctitatis in Societate clarus, nihil discipulis suis vehementius sæpiusque inculcabat, quàm religiosi status desiderium, ne scilicet in mundo, posito in maligno æternũ perirent, sed in religione veluti salutis arca à diluvio cum paucis salvarentur. Verum qui Patrem hunc imitari gestit, religiosum statum in genere solũ commendet, juxta Regulam 24. Sacerdotum. Pro deliberatione de vitę statu servire potest Horologium Juventutis, ejus praxin exhibens.

## S. III.

## De modestia Discipulis inculcanda.

I. **M**agister infimę Grammatices, ab initio doctõis & primo in scholam ingressu singulari studio & indultriã Discipulis suis inculcet modestiam. 1. Servandam in schola: hac enim deficiente Magistri cura, labor, clamor, fatigatio plurimũ augetur, & discipulorum progressus retardatur. 2. Deinde modestiam servari jubeat, in exitu ad templum, & in area; tum ut melius dispositi ad sacrum accedant; tum ut dissolutione suã oculos

externorum non offendant. 3. Et vel maxime curet modestiam in templo, ob reverentiam divine Majestatis, & SS. Angelorum presentiam atque hominum, in quorum oculos immodestia incurrit. Qui vero hac in parte deliquisse notati fuerint, poena minime careant.

II. Ad modestiam hanc exactissimam scholarum tempore obtinendam, Magister non permittat. 1. Ut dum recitandi, repetendi, disputandive facultatem discipuli flagitant, identidem clament, Ego, Ego, vel quid simile: turbatur enim continuis his clamoribus harmonia & quies scholæ, nec sine dispendio temporis. Innuant ergo potius digito vel manu extensa, si recitare vel respondere desiderent. 2. Non sinat eos, dum facultatem prædictam petunt, in scamna assurgere: æstivo enim tempore pulveres excitantur, Magistro & Discipulis devorandi, non sine sanitatis detrimento. 3. Non permittat discipulos humi procumbere, sese post alios abscondere, aliavè latibula querere ad securius fabulandum. 4. Syndicos nonnullos constituat è maturioribus, & fidelioribus, in sublimiore

Ma-

Magistratus scamno confidentibus, qui garrientes observent, & annotent, vel mox Magistro indicent. Tempore autem sacri Magister eo loco flectat, quo suos commodè observare queat, indiesque visitet.

## §. IV.

*De bonis moribus Discipulorum.*

Cùm boni liberalésq; mores, ingens juventutis decus sint & ornamentum,

I. Allaboret Magister sedulo, ut discipulorum suorum mores poliat; & si quæ in iis sit barbaries, corrigat: nihil in verbis procax, nihil in incessu rusticum, nihil in toto habitu indecorum, & in vestitu sordidum appareat. Proderit subinde prælegere nonnihil ex Schola Urbanitatis, aut ex Horologio Juventutis, leges decoræ in mensa & consortiis.

II. Non pudeat Magistrum ad morum elegantias practicè Discipulis monstrandas descendere, & ostendere, qui pileus deponi, reponi, manuvè teneri debeat, quis modus manum exosculandi, se vertendi, honoratioris prætereundi, alloquendi &c.

III.

III. Non minimum momenti habebit, si simul ac absurdum aliquid à quopiam commissum sit, statim id corrigatur, & quandòque deridendum publicè proponatur.

IV. Professores ipsi inter se decorè & eleganter agant, devitatis tamen aulicis, maximè dum prostant in publico.

V. Mane & vesperi parentes adire salutis gratià pueri doceantur: à quibus etiam sub somnum benedictionem petant.

VI. Revereantur in publico, non nostros tantùm, sed & cuiusvis ordinis Religiosos, Ecclesiasticos, Cives etiam in civili quapiam dignitate constitutos.

VII. In scholis & multò magis in templis, non sedeant chlamydis involuti, aut manus abscondas habere permittantur.

VIII. Ante Professoris ingressum, nullus in schola, clamor, petulantia, aut insolentia toleretur, constituaturq; Censor, qui attendat, & petulantes annotet. Assuecant pueri Gymnasium & loca vicina velut sacrum quoddam modesto silentio venerari.

IX. Ad prædicta faciliùs impetranda, plurimùm proderit usus notè malorum morum, & locutionis vernaculæ. Nec facile permittantur plures, absq; necessitate simul scholâ exire, aut emanere diutiùs, ex quo multa possunt oriri mala.

## §. V.

*Asper gubernandi modus.*

**D**uo extrema in Discipulorum regimine vitanda sunt, asperitas & remissio. Asperitas & rigor nimius est. 1. Si in lectionibus, compositionibus, & cæteris injungendis, res ipsa quæ proponitur sit prolixior & captum Discipulorum superet. 2. Vel licet in se ardua non sint, is tamen cui injunguntur, ingenio, memoria vel scientia destituatur. 3. Si agatur verbis asperioribus, modòq; desperato, præsertim si suspicetur Discipulus, id ab immoderato Præceptoris affectu proficisci. 4. Si lectio, thema, absentię ratio exigatur eo tempore, quo discipulus meritò excusatus est, vel ob Dominorum obsequia, vel alias ob causas. 5. Si excusationes & rationes primo statim aspectu,

tanquam mendacia, eo non audito, rejiciantur. 6. Si gravia & levia eodem exigantur rigore & ordine. 7. Si suspicium se Præceptor ostendat, & ita affectum erga aliquem, ut putet Discipulus nulla in re se posse satisfacere, si laudat nunquam aut rarò, vituperet verò & reprehendat semper. 8. Si malam de Discipulo opinionem præferat, & omnia in deteriore partem interpretetur. 9. Si regularum, disciplinæque exactam observantiam spectans, nesciat compati ætatis infirmitati. 10. Si quid obscure aut æquivocè jubeat, aut loquatur, quasi studio nolit intelligi, quò semper liberum sit Discipulum arguere. 11. Si Discipulo justa de causa facultatem absentię, vel aliud quidpiam petenti neget, aut durum se reddat. 12. Si quæ dubia sunt, semper scrupulosius & rigidius interpretetur. Et denique regulæ quadragesimæ Professorum humaniorum neglectus.

*S. VI. Remissus dissolutusq; gubernandi modus.*

**S**I tantum magna & quæ scandala sunt, curentur, fabulæ verò & petulantia

alia.

aliæque minora negligentur. 2. Si modestia, disciplina, silentium, suavitatis prætextu, minus accuratè urgeantur. 3. Si juncta, à Discipulis suo tempore non exigantur, excusationes inidoneæ admittantur. 4. Si ex frequenti aliquorū transgressione, assuescat Professor, quasi minus mala judicare, quæ mala sunt. 5. Si improbet quidem aliquorum negligentiam; sed ne contristet, aut contra se crabrones excitet, non corripit. 6. Si ad complacentiam particularium, vel ob sensuales privatorq; affectus faciliè concedat, connivãtq; quæ disciplinæ non conveniunt. 6. Si prætextu suavitatis permittat se negligi, aut quæ dicit, contemni. 8. Si ex naturali timiditate, frigidè moneat & puniat, ut delinquentem non moveat: quasi illa admonitione id tantum voluerit, ut officio functus videatur. 9. Piã quadam opinione, levia omnia existimare, nec considerare, quò tandem res terminari possit. 10. Jocari, ridere, familiariter agere cum Discipulis. Eccli. 30. *Lacta filium tuum & paventem te faciet, lude cum illo & contristabit te, ne corrideas illi, & in novissimo obstupescant dentes tui.*

E

Hac

*Hac pro juventute bene regenda ante complures annos novellis Magistris scripto communicabatur & ferè desumpta sunt ex Industriis P. Claudii, ad curandos animas morbos. c. 2. qua attexere volui, ut profint pluribus.*

s. VII.

*De modo excitandi juvenes ad studia.*

1. **M**agister sit alacer, non morosus, quiq; se nihil pluris facere ostendat, quàm illud studium quod tractat. 2. Excitet æmulationē inter partes adversas, & adversarios victores præmiis & immunitate aliqua afficiat, v.g. die recreationis. 3. Quod laudari potest in Discipulis laudet, ducanturque potiùs amore honestatis, aut suavitate; quàm pœnis & verberibus. Sciat tamen Magister non omnes pueros eodem instituto regi posse; ac proinde diligenter in cujusque genium & indolem inquirat. 4. Si quis sit, qui in re mala se non emendat; non statim procedatur ad plagas, sed primò moneatur privatim. 2. Publicè. 3. Privatim minetur confusionem publicam. 4. Injungat aliquam pœnitentiam. 5. Confundat publicè. 6. Ex sententia Imperatoris ad plagas descendat. 5. Caveat cognominibus aut viliter suos compellere:

illi

illi enim erga se invicem, & ipsos Præceptores eundem conviitandi & vilitatis modum induunt. 6. Suavis ex æquo sit omnibus, blandus & familiaris nemini; quòd ea res, sicut frequenter istiusmodi animularum spiritus inflat, ac poteros efficit; ita cæterorum animos avertit; & nescio quā invidiâ, velut pestilenti sidere afflatus præcipitat. Si quibus erit aliquid indulgendum, sint ii, quos publicè pietas, modestia, & diligentia præ cæteris commendat. 7. Sit locus honestior, ubi argumenta diligenter facta suspendantur: v. g. rostra ubi prosa, Parnassus ubi carmina, his legibus, ut immunitate aliqua gaudeat, vel alium etiam semel liberare possit. E contrario, sit etiam Tullianum, ubi negligentium, vel magnam partem aliunde describentium themata suspendantur inversa, donec insigni diligentia refigi mereantur. 8. In renovatione Magistratus proponi poterunt tria præmia elegantiora, quæ finito mense distribuenda erunt, primum, omnium iudicio piensissimo; alterum modestissimo, tertium diligentissimo; nec cæteri, qui ad hos suffragiorum multitudinem proximè accedunt, præmioliscarent.

*De aliis scholasticis exercitiis, quia instituti mei brevitatis id non sinit, tractare supersedeo. Videatur prolixè P. Masenius in Palestinis, Balbinus succentius in Verisimilibus. Et brevissimè, Principia Literarum Humaniorum, ante triennium Colonie impressa.*

IN-

# INSTRUCTIO V.

## Scholasticorum, Theologiæ Auditorum.

**D**ocumentum I. Scholasticis nostris studio Theologico intentis, observandum quoque id, quod paulò antè præscriptum studia Recolentibus: scilicet ut Spiritū cum literis conjungant: hæc enim sunt tanquam duo testamenta, lex & gratia, quarum altera alteram illustrat: sunt tanquam corpus & anima: ut enim corpus sine anima mortuū est: ita & scientia absq; spiritu: sunt tanquam duæ rotæ, quæ currū gloriæ Dei per mundum trahunt, ad quod una non sufficit: sunt tanquam duę sorores Martha & Maria, quæ se mutuò adjuvant, & in eadem domo cohabitant: & quemadmodum Martha sororis petebat auxiliū, ita doctrina, quæ per ratiocinationem ad multa effunditur, indiget spiritu coadunante, quo colligatur & confortetur. Ita discurrebat P. Balthasar Alvarez. Quare amate scientiam, monet S. Augustinus, sed anteponite charitatem: vā enim scientiæ, nisi ei dominetur charitas.

*De.*



*Documentum II.* In omnibus studiis, exercitiisque literariis, intentio sit purissima; nihilque aliud spectent, quàm ut apta evadant instrumenta, quorum doctrinâ, vitâque exemplari, homines Deum cognoscant, ament, eiq; fideliter serviant. Hic est finis à S. P. N. toties in Constitutionibus inculcatus. Hic est scopus præstantissimus, qui in terris esse potest, atq; ut ait S. Dionysius, omnium divinorum divinissimus, ipsi Redemptori nostro in mundum venienti propositus, & ipsismet, eum respicientibus longè utilissimus: *Fulgur enim quasi splendor firmamenti, & quasi stella in perpetuas æternitates. Daniel. 12.*

*Documentum III.* Omnem itaque curiositatem, vanitatem, inanem gloriam, sinistrâque intentionem qualemcunque prorsus eliminant: & tanquam genuini aquilæ pulli, in solem, id est, majorem Dei gloriam, cum S. Ignatio, oculos mentis defigant, nihil præter hanc & obedientiam ac charitatem spectantes. Hunc sibi scopum præfixerat, dum literis vacaret P. Vincentius Carrafa L. 1. vitæ c. 4. Non alia

alia studendi causa proposita tibi esse debet, quàm obedientia, & charitas obedientiæ amica: non cupiditate sciendi, multò minùs scientiam venditandi, sed solo obedientiæ studio, studiis te commodabis. Fixum tibi certumque maneto; studendum, ut pareas, non parendum ut studeas: sic enim, cum supremo Judici sistere, confidenter dicere poteris, quod quispiam Sanctus: *Redde quod promissisti, quia fecimus quod iussisti.* S. Aug. serm 16. de verb. Ap.

*Documentum IV.* Caveant quoque ne, voluptas illa, quam reconditarum rerum, maximè recens scientia parit, intentionis puritatem obsufcet. Sanè prædictus Vincentius, cum nulli frequentium Condiscipulorum cederet, intimis Theologiæ rimandis; & seipsum, & voluptatem è studiis sponte natam, suspectam habuit; ne Numinis gloria postposita, oblectationem istam, voluptatèmq; è scientia derivatam, spectaret in studiis. Unde has sibi minas intentabat: Si secus faxis; expectandum tibi funestum illud: Recepisti mercedem tuam; inanem scilicet exsaturatæ curiositatis fructum, oblectationem. l. c.

*Documentum V.* Operam dent, ut cor habeant valde quietum, atq; ab omni anxietate studendi, & propterea in rebus ab obedientia injunctis festinandis, expeditū ac liberum: quod nisi habuerint, plurimū seipfos impediunt, actiones suas cum illa festinatione minū rectē peragent, & cor ad orationem & familiaritatem cum Deo ineptum retinebunt. Quare cum P. Carrafa hanc sibi regulam statuunt. Extra tempora studiis destinata, ita mentem ab iis avertam, ac si nunquam applicuissem: nam & Doctorem Angelicum ferunt sic orasse, ut interea nulla de studiis obreperet cogitatio, sic studuisse, ut nulla de oratione.

*Documentum VI.* Curent etiam Theologiae Candidati, ut in anima sua virtuti ac religioni principem locum assignent, plurisq; eas faciant, quā literarum eruditionem, quae sine illis plus detrimenti, quā emolumenti parit. Atq; hunc esse sensum Societatis, regulae declarant. Ita fiet, ut tempus optimum rebus Spiritualibus consecrent, easque exactē, valde perfectē, ac primo loco peragent, certō sibi persuadentes, nihil se propterea de eruditionis

in-

incremento amissuros, juxta illud S. Bonaventurae: *Scientia, qua praevirtute despicitur, per virtutem postmodum melius invenitur.* In spec. disc. c. 7.

*Documentum VII.* Persuadeant sibi orationem aptissimum esse medium ad scientiam. Non minū orando, quā studendo sciri, aiebat P. Balthasar Alvarez saepe repetens exemplum à Cassiano relatū de Theodoro Abbate, qui puritate cordis plus scientiae acquisivit, quā multa lectione aut studio, & cū quendam Scripturae locum, post longum studium, non intellexisset: tradens se orationi, cum perfectē est assecutus. Hunc orationis fructum expertus quoque est Doctor Angelicus, qui nunquam se lectioni aut scriptioni dedit, nisi post orationem; in difficultatibus verō intricatis, ad orationem jejunium adhibuit, & lumen impetravit. Et S. Bonaventura eidem S. Thomae Bibliothecam, è qua tantum scientiarū hausisset, videre cupienti, Crucifixum ostendit. Horum Sapientum vestigia legant nostri sapientiae corrivales; crebrō gratiam divinam postulent, studia sua Deo offerant,

nec nisi præmissâ flexis genibus oratione studia inchoent. *Invocavi & venit in me spiritus sapientie*, ait Salomon Sap. 7.

*Documentum VIII.* Nimium studendi & sciendi ardorem refrænent; is enim perfectum impedit, intentionis puritatem vitiat, atque ad decurtanda, differenda, aut omittenda exercitia spiritualia propellit. Erat P. Lancicio condiscipulus, Joannes Maria Campori, postea in India Orientali magna cum fama sanctitatis mortuus, is die disputationis decretorio, non quidem meditationem ipsam, sed preculas quasdam sponte sibi injunctas neglexit, sed repente voce cœlesti admonitus: *purâsne te posse sine meo auxilio bene disputare? facilius orando meum potest obtineri auxilium, quàm studendo.* Quâ divinâ voce increpitus, nunquam postea, studiorum gratiâ, quidquam quod ad Deum pertinet, omisit. *In vita P. Lancicii c. 6.*

*Documentum IX.* Sciant præter orationem, mortificationem quoq; ad scientiam acquirendam multum valere: hæc autem abnegatio in sequentibus eluceat, 1. In vincendo tædio studii tempore oc-

currente, ac desiderio, studendi tempore prohibito, quale est tempus orationis, examinis & similia. 2. In vincenda repugnantia sese humiliandi, ad interrogandum Professores aut Condiscipulos, ad argumentandum, defendendum, aut respondendum interroganti. 3. In superanda arrogantia, quâ se ad altiora extendant, quàm opotseat, aut ad alia studia, quàm profiteantur, curiositatem potiùs quàm utilitatem quærentes. 4. In abnegando proprio critirio, ut Majorum ac Professorum consiliis ac directioni se accommodent, non verò propriâ; huic studio & non illi; hîc & non ibi, hæc ratione non illâ, his libris & non aliis. 5. In calcanda vanitate, ut non excedantur limites modestiæ in ostentanda eruditione. 6. In abnegandâ propriâ voluntate, quando jusserint Superiores. Has abnegationes ut studiorum tempore disceret expeditiùs P. Vincentius Carrasa, inter cætera decreta, primum hoc statuerat: primum tibi studium esto, legere Christum cruci affixum: hoc ex libro, desiderium ejus causâ patiendî hauries.

*Documentum X.* Summo studio attendant, ad charitatis, mutuæque conjunctionis conservationem: cuius causa sequentes defectus valde perniciosos fugiant.

1. Inus est fovere particularem quandam cum aliquo amicitiam, præcipuè quam tota Communitas notet. 2. E contra ex sinistro quopiam affectu, aut studio, æmulum conari confundere, aut suppressere. 3. Murmurare vel conqueri de Professoribus, quod prolixi sint, aut breves, obscuri aut superflua tradentes. 4. Opiniones sequi Magistris suis contrarias, maximè si aliis manifestetur opinionem Professoris contemni. 5. Insinuare Professoris solutionem non satisfecisse. 6. Exiguam præferre amorem erga Professore, eumque aliis manifestare; aut quod peius est, ob certum quoddam genus faciuncularum, unum Professore alteri præferre. *Charitas, unio, & conformitas mutua, diligentissime conservanda est,* ait S. Ignatius p. 3. c. 1.

*Documentum XI.* Cum ex parte sua Theologiæ Auditores, in studiis præstiterint, quod potuerint, omnem studiorum exitum Providentiæ Divinæ relinquunt, con-

conservatâ pace & tranquillitate, etiam cum successus non fuerit aded felix, quod haud difficile accidet, si solum Deum quaerierint. *Si ego,* inquit Dominus, apud Thomam Kempensem, *sum causa eius, quod quaeris, quocumque modo eveniat, contentus eris & pacatus.* Præclare S. Augustinus præfat. in psal. 6. Suadet: *Nos igitur quod nescire nos Dominus voluit, libenter nesciamus, satis enim nobis esse debet, quod ille ita velit, ut id nos libenter amplectamur.*

*Documentum XII.* Dum scholam adeunt aut in schola morantur; ad externorum ædificationem modestiæ religiosæ exemplū præbeant, secundum Reg. suam 8. Virtutis hujus exemplo, externis scholarum Auditoribus, ita illuxit Vincentius Carrafa, ut horis integris expectarent, quo Vincentii intrantis modestissimo habitu, oculos animosque pascere, eminusque viso; ecce, inter se ajebant, ecce sanctus adest; in schola vix ab eo oculos avertere, observare tacitè nutus illius omnes; mirari in vicem silentii tam tenacem, ut nullū unquam ex ore suo excidere sineret verbum, tam alienum à curioso aspectu, ut

oculos semper demissos teneret; tam denique modestiæ studiosum, ut ne importunas quidem muscas abigeret, quasi si earum aculeum non sentiret &c. Ita ut modestiæ & sanctimoniæ illius æmulandæ studio, multi è juventute ad religiosa claustra conuolârint, l. c.

*Documentum XIII.* In ipsa quoque studiorum remissione, siue domi animum relaxent, siue foras ambulatum procedant, semper modestiæ leges observent, in incessu, in motu, in silentio in plateis, in oculorum custodia, & totius corporis compositione ut externos ædificent. S. Ignatius nostros transeuntes è certo loco clam observabat, & si quem deprehendisset, non debitam modestiam procedentem, puniendum curabat. P. Ludovicus de Ponte Theologiæ auditor in ipsa studiorum remissione ita se continebat, ut à legibus modestiæ & disciplinæ religiosæ, nec latum unguem recederet; nihilo planè solutior, quam in Tiröcinio, cujus rigorem, non minuerat, sed auxerat studiorum labore L. 1. vitæ c. 4. Applicent sibi doctrinam S. Chrysostomi; Sic, inquit, è colle-

ctis (dicam ego è Collegiis) egredi nos oportet, quasi ex sacris adytis, quasi de cœlo lapsos, modestos, moderatè ac temperatè cuncta facientes.

*Documentum XIV.* In propugnando aut oppugnando, juxta regulam & Scholasticorum, doctrina speciem pariter & modestia præbere curent. Ac proinde à clamore & vociferatione, ab iracundiæ impetu, verborumque aculeis penitus abstineant, ad normam P. Bernardi Colnago Theologiæ operam navantis, de quo L. 1. vitæ c. 5. recensetur: Arguebat equidem ingeniosè, premebat fortiter, in consuetis seu domi leu foris, ingeniorum, scientiarumque conflictibus; sed condiebat acrimoniam tantâ dulcedine, eâ honoris significatione, sui que depressione, ut quem ferire poterat argumenti subtilitas, demissio argumentantis leniter demulceret. Porro quantumvis ferueret docta concertatio, ipse tamen neque clamoribus aures obtundebat, neque asperiore verbo quæquam notabat, semper placidus, sibi que non abstimilis, qui plus aliis, sibi nihil tribuere consueſſet.

*Documentum XV.* Cùm nostri Theologiae Auditores, sub tertii Theologiae anni exitum sacerdotio initiari soleant, ad dignitatem hanc Angelicis Spiritibus denegatam, omni solertia sese comparent, eo potissimum sine, ut plures, majores & efficaciores gratias sacramentales in Sacramento Ordinis mereantur à Domino consequi, ad munia sacerdotalia, cum magno fructu obeunda, ad propriam & aliorum salutem. Gratiae autem sacramentales, cum magna praeparatione & fervore spiritus suscipientibus Sacramentum ordinis, praesertim Sacerdotalis, hæc à Deo ordinariè concedi solent, plus, minusve, pro dispositionis praemissae quantitate. 1. Devotio magna etiam sensibilis in recitandis horis canonicis, & sacrificio missae offerendo. 2. Lumen magnum & practicum in audiendis aliorum homologesibus. 3. Accursus poenitentium conscientias vel sacrilegis confessionibus, vel malè factis, vel aliis peccatis intricatas, habentium, ad petendum & inveniendum auxilium. 4. Gratia è misero peccati statu poenitentes extrahendi. 5. Notabilis profectus in virtute

confitentium ejusmodi sacerdotibus, aut conversantium cum illis. 6. Agnitio peccatorum plurimorum, antea in confessione, vel ex oblivione, vel ex ignorantia, vel ex negligentia omissorum. 7. Quies conscientiae antè non habita, collata confitentibus, coram talibus Sacerdotibus. 8. Taceo hic alias gratias extraordinarias, extraordinariè praeparatione, characterem sacerdotalem suscipientibus, conferri solitas: quales sunt oblatio sacrificii & horarum recitatio, absq; omni peccati navo, ingens fervor in iis, aliàque insperata ac repentina lumina caelitus infusa.

*Documentum XVI.* Ad has, aliàsque gratias obtinendas, disponant sese ordinandi per exomologesin generalem, ut majori puritate, dignitatem Sacerdotalem suscipiant. Peccata praecipua, magisque animam foedantia, ac virtutum impedimenta seriò & efficaciter amoliri statuunt. Praemitant actus contritionis, humilitatis, patientiae, dilectionis inimicorù, obedientiae, amoris erga Deum, quàm ferventissimos, & summo animi conatu, applicatione ac fervore quodammodo se-

raphico, purè propter Deum, ejusque majorem gustum & consolationem. Verbo ita conscientiam emundent, ac si eis jam jam è vivis excedendum foret, nec umbra peccati remaneat, quam accuratissimâ & sincerissimâ confessione non expient, ut hac ratione animam suam & corpus instar nitidissimi adamantis aut crystalli, Majestati divinæ exhibeant.

*Documentum XVII.* Ad omnia illa meliùs peragenda, octo vel decem diebus, sacris S. Patris nostri commentationibus vacent. S. Ignatius P. Faber & P. Laynez Vincetiæ 40. dies cœlestium rerum contemplationi, jejuniis, pœnisq; voluntariis tribuere, ut ad sacerdotale munus sese disponerent. Idem, eodem fine & tempore S. Xaverius & P. Salmeron præstitere ad montem Celsum, in tugurio imbris & ventis obnoxio 40. diebus divina contemplantes, emendicato pane victitantes, humi, in stramine noctu cubantes, aliisque pœnis corpus affligentes. Similiter P. Ludovicus de Ponte ad rite suscipiendum ordinem Sacerdotalem, se mensrua rerum divinarum commentatione studio-

fissi;

fissimè paravit. L. 1. vitæ. a. 4. Horum vestigia sectando, exercitia saltem oſtiduana exactiùs & ferventiùs solito, nostri initiandi instituant; ad vitam deinceps sanctiùs ducendam, & usq; ad mortem continuandam se excitent; contra omnes respectus humanos, & imperfectorum judicicia, valde se obarment; insatiabile virtutum, meritorum & operum heroicorum desiderium accendere in se curent; ut plane mutantur in alios, & homines quodammodo divini evadant, atque ex his exercitiis abscedant Deo pleni, tam in conversatione secreta cum Deo, quàm in publica cum aliis, nihil in omnibus nisi Deum spirantes.


*Documentum XVIII.* Suscepto characterè Sacerdotali, ad celebrandas primitias exquisitè se præparent; quæ præparatio in eo consistit, ut ritus exactè calleant, rubricas ad amussim servant; fidem vivacissimam, spem & charitatem ardentè eliciant, & sacrum ab initio non præcipitanter, sed tardè pièq; celebrare assueſcant. Nunc quidem diutiùs, sed deinceps ante & post sacrum saltem per quartam horæ

partem, devotionis actibus, inique ferventibus insistant; oculos, manus, linguam, quæ potissimum circa S. Eucharistiam occupantur, ab omni etiam specie mali, incontaminata servant:

*Deniq, ut corpora ciborum qualitates participant, ita æquum est, ut Sacerdotes nostri, toties celebrantes Christi in Eucharistia existentis virtutes & mores perfectè imbiant & exprimant.*

1. Exactam Christi Sacerdotis voci obsequentis obedientiam. 2. Humilitatem profundissimam, & donorum occultationem talem, ut ament nesciri & pro nihilo reputari. Christus in Eucharistia, omnia magnalia sua prorsus abscondit. 3. Patientiam omnimodam in omnibus injuriis, qualem Christus in Sacramento exhibet. 4. Liberalitatem, omnia Deo offerendo, intellectum, voluntatem, actiones famam. Veluti Christus, omnia dat nobis. 5. Puritatè eximiam, nulli impuritati ex rebus creatis contrahendæ obnoxiam. 6. Sincerum zelum animarū absq; ullo respectu personarū functiones sacerdotales exercentem. 7. Paupertatem & nuditatem rerum omnium

omnium. 8. Purissimam intentionem gloriæ divinæ. 9. Propagationem efficacem divinæ gloriæ, & salutis animarum. 10. Animum pacatum in occasionibus advertitatum & injuriarum. 11. Plenam indifferenciam ad occupationes, loca, officia omnia. Velut Christus nullum detrectat locum, quo à sacerdotibus etiam sceleratis collocatur. 12. Plenam annihilationem rerum, Deo in nobis displicentium, & amoris proprio placentium. Quæ si Neomistæ obtinuerint, Deo se integrè immolabunt, qui amore nostri exinanivit semetipsum & hostiam Deo obtulit. Vitam Sacerdote dignam, id est perfectam ducent, & præter alia bona & dona eximia, assequentur id, quod tum ab aliis Sanctis, tum à S. Gregorio L. 4. Dial. c. ult. promissum est: *Audenter dico, quia salvari hostia, post mortem non indigebimus, si ante mortem, ipsi hostia fuerimus.*



SCHOLA AFFECTVS  
SEU  
INSTRUCTIO VI.

Patrum in tertia probatione  
versantium.

PRAEFATIO

**Q**UOD Redemptor noster Marci 6. dixit Apostolis: *Venite seorsum in desertum locum, & requiescite pusillum.* Volens, veluti P. Salmeron exponit, ut à laboribus molestis aliquantulum respirarent, & interim sibi, suisq; animi moribus moderandis, componendisq; intenderent: idem cœlesti planè consilio S. Fundator noster pro Scholasticis ordinavit: ut *seorsum veniant*, & post longos docendi ac discendi labores, relictis Discipulis, Gymnasiis, studiis, ab his *pusillum requiescant*: & quemadmodum hætenus in schola intellectus, ita nunc in schola affectus, in schola orationis & abnegationis, in scientia omnium nobilissima, utpote scientiâ Sanctorum, & scientiâ Spiritus practica, sese exercent, ac spiritum studiorum tempore, si non collapsum, saltem tepefactum, novo fervore instaurent.

PARS



Henri. Cause sculp.

PARS I.

De fine, mediis, & exercitiis  
tertii anni.

CAPUT I.

*De Fine tertie probationis.*

**I.** Finis hujus probationis, ut in Instru-  
ctione ait P. Claudius; est in plena  
& absoluta sui ipsius abnegatione ita se  
cum divina gratia exercere, & cum ea-  
dem ad virtutes religioso dignas incum-  
bere, ut fiat homo in vita spiritali per-  
fectus, idoneumq; Societatis instrumen-  
tum ad animas Christo lucrificandas  
evadat.

*Notandum hic, pradieto fine omnem per-  
fectionem & triplicem ejus viam perspicuè  
contineri: nam plena sui abnegatio via pur-  
gativa, virtutum adeptio, illuminativa, &  
vita perfectio univiva respondet.*

II. Ad finem hunc, triplicemq; in illo  
inclusam perfectionis viam, probè asse-  
quendam; ante omnia studendum est ter-  
tii aâni tempore, ut ea bene intelligantur &  
penetrentur. Licet enim hic annus à S. Pa-  
tre

*De fine tertie probationis.*

tre nostro vocetur schola affectûs; quia ta-  
men voluntas nostra & affectus ejus non  
fertur in incognitum; ignoti enim nulla  
cupido; omnino necessariû est perspicere  
naturam, seu essentiam, & media, instrumē-  
tâq; perfectionis. Unde juvat in compen-  
dium eò spectantia redigere, ut velut in  
synopsi, ea cernamus, & velut ideam pro-  
positam vitâ ipsâ exprimamus.

III. Ad clariorem verò prædictorum  
cognitionem, plurimum luminis & adju-  
menti conferet lectio attentâ Authorum  
illorum, qui de abnegatione, virtutibus &  
vitiis solidiùs scripsere: quales sunt PP. de  
Ponte, Alvarez, Rosignolius, Carrasa, Ro-  
dericus, Lancicus, Nierenbergius, Gau-  
dierius & alii. Suaderemq; ut primis men-  
sibus legeretur de extirpatione vitiorum,  
& aliis spectantibus ad primâ perfecti-  
onis viam, mediis mensibus de adeptione vir-  
tutû & via secunda; ultimis de cognitione  
& amore Dei ac reliquis tertie viæ propriis;  
sed simul in praxin, quæ lecta sunt, redi-  
gerentur. Hæc est praxis & ordo, quem  
Ascetæ tradunt communiter, licet P. Gau-  
dier à virtutibus paupertate, castitate &  
obe-

obediencia inchoandum censeat. Idem tamen fatetur, plantando virtutes, malas radices evelli, & è contrà evellendo plantari.

IV. Hoc in primis observandum, ut cum scientia hæc sit merè practica, praxis semper cognitioni jungatur: neque enim quis unquam perfectionem, virtutesque intelliget, nisi se assidue exerceat, atque ita ipso exercitio lumen & cognitionem à Deo obtinere mereatur. Excitet quoq; in se insatiabile perfectionis desiderium, & famem sitimq; ardentem amoris divini, ex quibus modi, viq; pendentur, non solum intelligendi perfectionem, verum etiam adipiscendi.

## CAPUT II.

### *De mediis finem tertie probationis assequendi.*

I. **P** Balthasar Alvarez, ut cap. 47. vitæ legitur, Patribus suis Tertianis, duo media generalia, orationem & mortificationem optabat & inculcabat; ut scilicet per orationem conjungerentur cum Deo; per abnegationem verò vicia extirparent, quò

quò uberiùs virtutes progerminarent. P. Claudius in Instructione pro iis, qui tertium annum probationis agunt, (quæ refertur in ordinationibus Generalium c. 3. pag. 31. & quot mensibus legenda est.) varia experimenta & exercitia præscribit, ad perfectionem & finem præfixum utilissima.

II. In particulari autem hæc media recenseri queunt. 1. Sacrificium missæ. 2. Menstrua exercitia. 3. Meditatio quotidiana per sesqui horam. 4. Officium horarum. 5. Oratio vocalis. 6. Exercitium præsentis divinæ. 7. Usus precum jaculatoriarum seu aspirationum. 8. Examen generale. 9. Examen particulare. 10. Præcis regulæ electionis. 11. Exomologesis crebra. 12. Lectio Librorum Spiritualium. 13. Lectio SS. Patrum. 14. Lectio Instituti. 15. Alloquium Præsidis hebdomadarium. 16. Conferentiæ. 17. Opera humilitatis & pœnitentiæ. 18. Exhortationes domesticæ. 19. Exhortationes ad externos & catecheses.

III. Verè Societas armamentarium est instruatissimum, ex quo Socii ejus panopliam

phiam seu omnis generis arma desumere licet. Hæc arma sunt potentia ad hostes quoque; debellandos; hæc instrumenta sunt efficacissima, ad informes ac rudes quoque; dolandos & perficiendos, donec imaginem Christo simillimam referant. Hæc sunt fomenta, quibus Societas Filios suos nutrit & roborat, ac tanquam fecunda Mater Filios suos parturit, verè cum Apostolo dicens: *Filioli mei, quos iterum parturio, donec formetur Christus in vobis.* Gal. 4. 11. v. 19. q. d. Parturivi vos primò in prima & secunda probatione Tirocinii, ut è sæcularibus formarem Religiosos, & qualiacunq; saltem animarum lucrandarum instrumenta; nunc verò in tertia & ultima probatione, iterum vos parturio, ut gignam Religiosos perfectos & instrumenta proximè apta ad animas Christo lucrificandas, donec Christus formetur in vobis, & germana Christi simulacra evadatis.

## CAPUT III.

*De bona & mala dispositione probandorum.*

I. **B**ona dispositio animi ad tertium probationis annum destinatorum est.

est. 1. Si afferant ad hanc spiritus palæstram, desiderium ingens, remissum & inveteratum quodammodo studiorum tempore spiritum denuò renovandi, excitandi & inflammandi, ut elapso anni curriculo juxta S. Patris nostri votum, exeant homines novi. 2. Si afferant magnum desiderium in schola affectus obtinendi intimam familiaritatem cum Deo, per spiritualia devotionis exercitia, quæ tanquam instrumenta cum Deo ut causa principali conjunguntur, aptaq; evadant, ad gloriam Dei, quam maximè promovendam, quod optat S. Pater noster p. 10. Const. §. 2. 3. Si afferant desiderium avidum in mortificationis gymnasio neglectum tot annis, vel remissum, vel fortasse nunquam satis ferriò inchoatum abnegationis omnimodæ exercitium aggrediendi & addiscendi; propositaq; bona in meditationibus quotidianis & exercitiis annuis toties facta, toties fracta, nunc tandem, omnibus difficultatibus perruptis constanter adimplendi.

Ad hoc desiderium suscitandum plurimum contulerit, si proposuerint sibi ex-

emplum & fervorem primorum Patrum nostrorum, qui absolutis studiis suis, dum itinere Hierosolymitano interrupto, annum integrum navigandi opportunitatem præstolari constituissent; interim in varias Italix partes & civitates distributi, 40. dierum asceti & orationis, ac mortificationis excellentis exercitiis excolti, tertix hujus probationis formam quandam Societati reliquere, cœlesti Magistro autore, qui totidem in solitudine dies versatus est antequam prædicandi munus auspicaretur. Si hoc Spiritu tertiam probationem Patres aggressi fuerint, optimam dispositionem contulerint: & denique orationi pariter & abnegationi insistendo, facile obtinuerint. *4um* Quod exigebat P. Balthasar Alvarez c. 47. vitæ, ut Scholastici doctrinis & scientiis coram mundo jam magni, in tertio anno rursus infantes fiant, ut verè magni coram Domino evadant: & agant secum tanquam stulti & ignari, ut evadant perfectè sapientes in scientia spiritûs, quæ dat vitam & robur Scholasticæ; laboribus erga proximos splendorem addit, fructusque profert utilissimos, ad majorem

rem Dei gloriam, Ecclesiæ totius, & Societatis honorem.

II. Mala è contrà dispositio est ad tertium annum accedentium, qui cum ætatem primam & optimam in Societate, defectu solidi fundamenti in Tirocinio positi, aut si positum fuit, studiorum contentione labefactati, ac penè collapsi, laxius tepidiusque traduxerint. 1. Exercitiorum spiritualium diuturnitatem, operum humilium & experimentorum aliorum difficultatem, ac labore non horrent. 2. Qui studendo, laborandoque quasi jam fessi ad otium aspirant, cumque in finem tertium annum indutum sibi persuadent. 3. Quorum valetudo cum laboribus assiduis docendo, discendoque non parum attrita vel læsa sit, eam in tertii anni quiete instaurandam audent. 4. Omnium pessima dispositio est eorum, qui ob vanam, tumidamque de se conceptam doctrinæ aut virtutis opinionem, non opus sibi esse tertio anno credunt: cum evidens sit, hujusmodi vel maximè tertiam probationem indigere.

III. Quisquis igitur his erroribus obnoxius est, eosdem corrigat, eoque spiritu

probationem hanc aggrediatur, quo à S. P. N. instituta est; quod nullo negotio præstabit, si perfectionis, ad quam initio vocatus est, dignitatem & sublimitatem penetrare studebit, & quàm procul ab ea distet: Aggrediatur proinde tertium annum, tanquam scientiæ Sanctorum, omnibus aliis scientiis præstantioris scholam, tanquam locum pascuæ & sagine Spiritûs, & quasi ad centrum obice remoto, properet, & anhelet, media strenuè adhibeat, & finem præscriptum longè nobilissimum feliciter consequetur.

#### CAPUT IV.

*De exercitiis mensuris PP. TT. & quanam in iis observanda.*

**E**Xercitia mensura inter alia experimenta primum locum obtinent; quæ si rite peragantur, maximum fructum pariunt, atq; ad felicem tertii anni, imò totius vitæ reliquæ progressum in perfectione plurimum conducunt: in iis enim finem & media cognoscimus; impedimenta discutimus & removemus; Christi Domini vitam velut ideam inspicimus, & imitari

*& quanam in iis observanda.*

tari statuimus; actiones ordinarias ad hoc speculum dispicimus, examinamus, reformamus; Deo inspirante illuminamur, & charitate sanctisq; desideriis succendimur. quare toto affectu suscipienda, exactissimèq; peragenda sunt, & tanquam basis & fundamentum hujus anni, & omnis vitæ insequentis, solidè collocanda. Quò servient sequentia.

I. Patres Tertiani in hisce exercitiis, accuratè servent, præscriptum diei ordinem. Voluit hoc unice S. Pater noster, unde præscripsit, ut de eo, reliquisq; additionibus, fieret examen particulare; ne vel minimus defectus irreperet. Odit Damon ordinem, & saltem modicam orationi particulam decerpere tentat.

II. Meditationem de fine seu fundamento bene ponderent ac penetrent: verè enim universorum fundamentum est. Quemadmodum enim omnis reliqua lapidum massa fundamento innititur, & omnis lignorum, saxorumque superstructorum moles à fundamento firmitatem suam accipit: & quidquid evidentie & certitudinis habet conclusio, illud à principio

haurit, ex quo per necessariam connexionem deducitur; ita quidquid est axiomaticum, legumque religiosarum, quibus in virtutum exercitio promovemur, à finis consideratione sumit efficaciam. Quare P. Lancicius fenas in fine hoc ponderando horas infumendas suadet. P. Casparus Figuera in Summa Spirituali, asserit non defuisse, qui in meditatione finis 10. annis se detinuerint, magno fructu animæ suæ; imò totam vitam huic meditationi impensam, optimè collocatam fore, si modò perciperetur inde fructus intentus, qui est consecutio finis, ad quem creati sumus.

III. Intimè penetrare conentur gravitatem peccatorum venialium, & eorundem effectus ac damna, ut horrorem concipiant: & ab iis tanquam à facie colubri fugiant.

IV. Profundè rimari studeant meditationem de regno Christi, & de duobus vexillis, in quibus Deus S. Ignatio totam Societatis ideam ac structuram detexit. Et ex quibus Societatis spiritum colligere & haurire licet.

V. Vivaciter & intimè perspicere current,

rent, quanta Redemptor noster amore nostri passus sit & fecerit, quàm horrenda tormenta, opprobria, contemptus subierit: ut ad generosam imitationem inflammentur.

VI. Studiosissimè perpendant multitudinem & efficaciam mediorum sibi concessorum, tam in Ecclesia, quàm in Societate, quæq; indies suppeditantur; quibus si rite uterentur, Seraphinorum sanctitatem attingere valerent.

VII. Serio indagent præcipua profectus sui spiritualis impedimenta, ob quæ hæcenus perfectionem non sunt assecuti; eaq; omni conatu amoliri statuunt, cujusmodi sunt 1. Esse irretitum uno, alteròve vitio. 2. Habere dictamina quædam prava, similia his, quæ supra pag. 60. pro Instructione Repetentium allata & refutata sunt. 3. Amare res extrinsecas, distractiones, conversationes, recreationes, auram & favorem hominum.

VIII. Contra humanos respectus, validissimè se obarment.

IX. Deniq; ardentissimum profectus desiderium in se excitent; & in ipsis adhuc

huc exercitiis opus perfectionis seriò ag-  
grediantur, postmodum continuandum &  
amplius perficiendum. Hac ratione, auxilia  
gratiæ Divinæ à benignissimo Numine  
certo certius consequentur. Nam ut scri-  
bit S. Chrysostomus in orat. de S. Philo-  
gono: *Benignus est Deus, & quemadmo-  
dam parturiens cupit eniti factum, ita & ille  
cupit effundere misericordiam suam.*

### CAPUT V.

#### De ordine diei in exercitiis mensuris servando.

**Q**uotidie fiunt ternæ meditationes,  
& una consideratio.

*Hora IV.* Surgitur, observatâ additio-  
ne secunda, visitatur Venerabile Sacramen-  
tum, recoluntur puncta meditationis in-  
stantis.

*Medio V.* Meditatio horaria. Eâ finitâ  
examinatur successus, juxta additionem 5.  
Annotatur fructus, v. g. rariora lumina &  
proposita practica, considerando præcipuè  
ut ad quotidianas actiones quamprimum  
accommodentur. Deinde dicitur prima.

*Hora VI.* Legitur sacrum, post quod di-

dicitur Tertia, vel quæ eo die præscripta  
sunt, leguntur.

*Hora VII.* Dicitur sexta, visitatur Ve-  
nerabile Sacramentum, & legitur unum  
alterumve caput ex Thoma de Kempis,  
conveniens materiæ meditationum præ-  
sentis diei.

*Hora VIII.* Primo quadrante præpa-  
ratur materia pro sequenti meditatione,  
quæ inchoatur secundo quadrante.

*Medio X.* Examinatur meditatio, ut  
suprà. Visitatur Venerabile Sacramentum,  
& legitur Nona. Tempore consueto fit  
examen conscientiæ & prandium: in quo,  
sicut & quoties in publicum prodeundum  
est, habenda est specialis ratio regularum  
modestitiæ, in capitis, oculorum, & totius  
corporis compositione.

*Hora XI.* Post mensam relaxatur ani-  
mus nonnihil, visitato prius Venerabili  
Sacramento, nulli rei seriæ attendendo, sed  
agendo aliquid, quo animus suaviter di-  
strahatur, non tamen dissolvatur: cujus-  
modi esset v. g. cubiculum componere,  
opus humile facere in culina vel refecto-  
rio, Summopere verò cavendum est, ne

128 De ordine diei in exercitiis mensuris.

tam illo, quam toto hoc exercitiorum tempore, vel inter se, vel cum aliis colloquantur, aut per domum vagentur.

*Hora XII.* Lectis litanis B. V. & facto examine particulari, dicantur vesperæ cum completorio.

*Hora I.* Exercitium aliquod corporale. Visitatur Venerabile Sacramentum, recitatur rosarium.

*Hora II.* Instituitur pia consideratio, vel primis diebus fit præparatio ad Confessionem generalem.

*Hora III.* Legitur liber spiritualis.

*Hora IV.* dicitur Matutinum cum Laudibus, & præparatur materia pro sequenti meditatione.

*Hora V.* Meditatio.

*Hora VI.* Examen meditationis ut supra. Visitatur Venerabile Sacramentum, cœnatur.

*Hora VII.* Relaxatur animus, sicut post prandium.

*Hora VIII.* Finitis litanis de omnibus Sanctis, lecta meditatione, & peracto examine conscientiæ, religiosè incumbitur.

CA-

✿ (129) ✿

## CAPUT VI.

*Notanda quedam circa examina & considerationes.*

I. **U**T consuetudo malè utendi utrôq; examine, efficaciter tollatur, providendum solerter, ut usu ipso & praxi defectus circa normam utriusque examinis à S. P. N. præscriptam, admissi evitentur. Quod etiam procurandum apprime est in reliquis diei actionibus, ut hoc exercitiorum tempore perfectissimè formentur. In quem finem speciales de iis considerationes instituuntur. Porro examen particulare fiet de distributione temporis servanda, ut pro errato notetur, si quid non fuerit factum, vel non ita perfectè, ut annotationes circa examina & meditationes requirunt.

II. Considerationem, quæ præter meditationes præscribitur, & ad totius vitæ reformationem (de qua Directorii c. 10. n. 7.) & debitam perfectionem consequendam, valet plurimum, institui de certa aliqua actione reformanda, velut sacro, vel officio divino. Item de re aliqua præsen-

*Notanda quedam circa examina*  
sentibus materiis aptiore. In reformatione  
verò actionis hæc forma servari poterit.  
Consideretur 1. quæ sit natura talis actio-  
nis: quomodo perfectissimè obiri possit,  
& verò etiam debeat ab homine Societa-  
tis. 2. Attendatur, quàm procul ab ea re-  
cesseris, ubi proinde notandi defectus  
commissi, & omissa perfectio. 3. Quid  
remedii adhiberi possit. 4. Defectus & re-  
media scripto annotanda.

III. Consideratio verò Regularum  
quatuor habet puncta. 1. Attentè legen-  
da regula; tum remoto libro ejus sensus,  
veritas quam continet, & tota perfectio est  
imprimenda memoriæ, ut deinceps facilè  
occurrat. 2. Considerandū quomodo Chri-  
stus hanc vel illam actionem eâ regulâ  
commendatam exercuerit; quomodo v. g.  
servaverit silentium, cum interna animi  
recollezione; ita & nos servemus: ore-  
mus, ut ipse oravit: comedamus, ut ipse:  
sic formatur in nobis Christus, efficiimur-  
que veri ipsius Socii & Fratres, ac Filii  
Deo dilectissimi. 3. Considerandum, quis  
sit usus & praxis talis regulæ, & quæ inter-  
næ vel externæ actiones, juxta illam sint diri-

dirigendæ: quomodo, si Regulæ genera-  
les sint, v. g. undecima Summarii, applica-  
re eas oporteat nostris cogitationibus, ver-  
bis, operibus. 4. Deniq; quomodo hucuf-  
que regulam hanc servaverimus, ac dein-  
ceps servaturi simus.

### CAPUT VII.

*Distributio materiarum pro Exerci-  
tiis mensuris Patrum tertiæ pro-  
bationis, prò ut in Domo Gei-  
stanâ observari solent.*

## HEBDOMAS I.

**F**Inis ejus est puritas anime, tam à pec-  
catis omnibus; quàm à pravis habiti-  
bus, inclinationibus, affectibus.

### DIES I.

**M**editatio I. Consideratio Funda-  
menti accurata ex Libello Exerci-  
tiorum.

*Meditatio II. De Fine hominis Reli-  
giosi, & præcipuè in hac tertiâ probatione  
(Vide Trinckelium pag. 53.)*

*Meditatio III. Repetitio utriusq; matu-  
ritinæ. Consideratio de praxi meditationis*  
in-

instituentur. Vide P. de Ponte, P. Meyer, Trinckelium in Prolegomenis vel Horolog. Scholast. supra pag. 52. & seqq.

Legenda 1<sup>ma</sup> Instructio pro iis, qui tertium annum agunt. 2. Proœmium Directorii & caput 2. & 3. 3. Annotationes 204. Epistola P. Claudii 1<sup>oma</sup> de usu Exercitiorum. 5. Thom. de Kempis: vel ita didici potest, ut singulis hebdomadibus unus Liber absolatur; vel potius, ut magis materie meditationum convenient, legi possunt capita, ordine hinc nota: O Legatur itaque hodie ante prandium L. 3. c. 9. à prandio L. 3. c. 10. 33.

## DIES II.

**M**editatio I. Exercitium de triplici peccato ex Libello exercitiorum II. De peccatis ex eodem III. Repetitio. Consideratio de Examine Generali. Vide Horol. Schol. pag. 142. & p. 213. Legendæ additiones ad exercitia melius peragenda. Et caput 11. & 39. Directorii.

NB. Deinceps servandum, ut quæ in Directorio habentur, evolvantur simul cum iis, quæ prescribuntur ex Libello Exercitiorum. Ex Thoma de Kempis L. 1. c. 6. & L. 3. c. 52.

DIES

## DIES III.

**M**editatio I. De morte. II. De Iudicio universali & particulari. III. Repetitio utriusque. Consideratio de Examine particulari. Vide Horolog. Scholast. p. 178. Legenda ex Libello Exercit. Examen particulare. Et Epistola P. Claudii 5<sup>ta</sup> de usu orationis & poenitentiarum in Societate. Ex Thoma de Kempis L. 1. cap. 23. & 24.

## DIES IV.

**M**editatio I. De purgatorio II. De Inferno. III. Applicatio sensuum. Consideratio de Confessione, præsertim generali. Vide Horolog. Schol. pag. 88. Legenda, Examen generale ex Libello Exercit. Item Regulæ priores ad motus animi discernendos. Ex Thoma de Kempis L. 1. c. 11. L. 6. 5. & 6.

## DIES V.

**M**editatio I. De damnis peccatorum mortalium. II. De damnis peccatorum venialium. III. Repetitio. Preparatio ad confessionem generalem. Legenda & ruminanda ex Libello Exercit. Decima ad-

*Distributio materiarum*  
 additio de satisfactione & pœnitentia. *Vide etiam Horolog. Scholast. pag. 192. De operibus pœnosis. 2. De usu Confessionis & communionis. Vide Horol. Schol. pag. 88. & pag. 109. Ex Thom. Kemp. L. 1. c. 13. & c. 18.*

## DIES VI.

**M**editatio I. Primus modus orandi ex Libell. Exercit. *Vide etiam Horolog. Sacerdotale pag. 72. Meditatio II. psalmus quinquagesimus per secundum modum orandi. Vide Horol. Sacerd. pag. 74. & 142. III. De dolore de peccatis ex amore Dei super omnia. Vide Horolog. Scholast. p. 91. Loco considerationis, continuatio preparationis ad confessionem generalem. Legendæ regulæ posteriores ad pleniorum Spirituum discretionem. Ex Thom. Kemp. L. 4. c. 7. & L. 3. c. 32.*

## DIES VII.

**M**editatio I. De Filio prodigo. II. Repetitio. Confessio generalis. Ex Thom. Kemp. L. 1. c. 25. & c. 21.

## DIES VIII.

**M**editatio I. De radicibus & fontibus im-

imperfectionum. *Vide Directorium c. 10. n. 7. vel P. Gaudier introductionem ad perfectionem pag. 165. vel Trinckelium p. 65. Vesperis mediâ horâ repetitio. Ex Thom. Kemp. L. 1. c. 19. & 20.*

NB. *Hodie conceditur aliqua relaxatio & deambulatio in horto; à prandio cum venia Superioris licebit egredi usq; ad horam 5. Sed domi servatur silentium totâ die. Medio sexta repetitio meditationis matutina.*

## HEBDOMAS II.

**C**ujus finis est, sequi Christum velut perfectissimum exemplar omnis virtutis & sanctitatis, nobis propositum ad imitandum.

## DIES I.

**M**editatio I. De Regno Christi. II. De incarnatione. *Vide P. Gaudier pag. 277. vel P. Trinckelium. III. Repetitio. Consideratio de modo adipiscendi virtutes. Vide Industrias P. Meyer. vel Horol. Scholasticorum Excitatorium in fine in Appendice. Legendæ ex Directorio c.*

18. 19. 20. Deinde quæ notata pro hac hebdomade ex Libell. Excit. Ruminandi quoq; tres modi humilitatis. *Ex Thom. Kemp. L. 2. c. 1. & c. 2.*

## DIES II.

**M**editatio I. De Nativitate Christi. *Vide P. Gaudier in Introductione. p. 284. II. De apparitione Angelorum. Vide P. de Ponte part. 2. med. 18. P. Meyer, Evangel. Luc. 2. III. Applicatio sensuum. Consideratio de modo piè surgendi. Vide supra Horolog. Scholast. pag. 32.*

*Legenda 1. secundus modus orandi. 2. Quæ habentur in Libello Exercitiorum, & in Directorio à capite 22. ea diligenter hoc & sequentibus diebus legenda, tum ad vitæ propriæ emendationem, tum ad aliorum directionem. Legi itaq; potest hodie Directorii c. 21. 22. 23. Ex Thom. Kemp. L. 2. c. 3. & 4.*

## DIES III.

**M**editatio I. De Pastoribus. *II. De Circumcisione. Vide P. Gaudier. III. De tribus Regibus. Vide P. de Ponte. Consideratio de tribus votis Religiosorum in communi, v. g. de dignitate, utilitate,*

tate, jucunditate, obligatione, & præmio votorum, si accuratè serventur. *Vide Rodericum p. 3. Legenda ex Directorio c. 24. 25. 26. Ex Thom. Kemp. L. 3. c. 40. 41. 42.*

## DIES IV.

**M**editatio I. De præsentatione pueri Jesu in templo. *Vide P. Gaudier vel P. de Ponte. II. De fuga in Ægyptum. III. De reditu ex Ægypto. Consideratio de praxi paupertatis in Societate. Vide infra Horolog. Excitatorium in Appendice, de renovatione votorum. Legenda ex Directorio c. 27. 28. 29. Ex Thom. Kemp. L. 2. c. 9. & 10.*

## DIES V.

**M**editatio I. De ascensu Christi in templum. *II. De vita Christi ab Anno 12. ad 30. III. de duobus vexillis. Consideratio de praxi castitatis. Vide Horolog. Excitat. l. c. Legenda ex Directorio c. 30. 31. 32. De tribus hominum classibus. Prior Epistola P. Claudii de renovatione. Ex Tho. Kemp. L. 1. c. 2. & 3.*

## DIES VI.

**M**editatio I. De baptismo Christi. *II. De Jejunio. III. De Tentatione. Vi.*

*Vide P. Gaudier, vel P. de Ponte. Consideratio de perfectione & praxi obedientiæ. Vide Horolog. Excitatorium l. c. Legenda ex Directorio c. 33. 34. Ex Tho. Kemp. L.*

*3. c. 13. 19. 20.*

## DIES VII.

**M**editatio I. De vita nostra bene instituenda, quoad salutem & perfectionem propriam, juxta exemplar vitæ Christi, quomodo nos deinceps gerere velimus 1. Erga Deum. 2. Erga Superiores. 3. Erga æquales. *Vide Horolog. Excitatum. in Appendice de praxi recollectionis mensuræ. Ex Tho. Kemp. L. 3. c. 23. & 25.*

*Deinde quies & vacatio ut supra. Meditatio sexta repetitio meditationis matutina.*

## HEBDOMAS III.

De Christo docente & patiente.

**F**inis hujus hebdomadis est, ex consideratione vitæ Apostolicæ & passionis dominicæ excitare animū ad ardua facienda & patienda, præsertim in paupertate, labore, dolore, contemptu.

Legenda 1. notata circa hanc hebdo-

ma-

madem. 2. caput 35. Directorii. 3. Regulæ ad victum temperandum. 4. De scrupulis. 5. Ut cum Ecclesia sentiamus. 6. Inchoanda lectio Regularū summarii, Communionium, Sacerdotum, Concionatorum, Missionum.

## DIES I.

**M**editatio I. De vocatione Apostolorum. *P. Gaudier pag. 354. II. De sermone Christi in monte. Idem pag 360. III. De missis ad prædicandum Apostolis. Idem pag. 400. Consideratio de missionibus Societatis. Vide infra de virtutibus Missionariorum. Ex Thom. Kemp. L. 3. c. 1. 2. 35.*

## DIES II.

**M**editatio I. De primo Christi miraculo in Nuptiis. *Vide P. de Ponte p. 3. m. 9. II. De fugatis è templo Negotiatoribus. P. de Ponte. p. 3. m. 10. III. De Conversione Mariæ Magdalene. P. de Ponte p. 3. m. 25. Consideratio de piis Colloquiis & recreatione religiosè transigenda. Vide Hor. Schol. pag. 170. Ex Tho. Kemp. L. 2. c. 9. L. 3. c. 47.*

G

DIES

## DIES III.

**M**editatio I. De Colloquio cum Sa-  
maritana. *P. de Ponte p. 3. med. 26.*  
II. De Lazari resuscitatione. *Idem. III.*  
De fletu Christi super Jerusalem. *Idem.*  
Consideratio de officio divino. *Vide Hor.*  
*Schol. p. 79. Ex Thom. Kemp. L. 3. c. 35.*  
& 36.

## DIES IV.

**M**editatio I. De Lotione pedum. *II.*  
De institutione Venerabilis Sacra-  
menti. *III.* De gestis in horto post cœ-  
nam *Vide P. de Ponte.* Consideratio de  
visitatione Venerabilis Sacramenti. *Vide*  
*Hor. Schol. pag. 201. Ex Thom. Kemp. L.*  
*4. c. 1. 2. 3. 4. 5.*

## DIES V.

**M**editatio I. De Christi comprehen-  
sione. *P. de Ponte. p. 4.* II. De ge-  
stis in domo Annę & Caiphę. *III.* De  
gestis apud Pilatum & Herodem. Con-  
sideratio de celebratione missę. *Vide Hor.*  
*Schol. p. 107. Ex Thom. Kemp. L. 2. c. 11.*  
*L. 3. c. 18. 19.*

## DIES VI.

**M**editatio I. De Christi flagellatione  
& Coronatione. *II.* De ejus damna-  
fi-

tionem ad mortem, & crucis bajulationem.  
*III.* De Crucifixione. *P. de Ponte.* Con-  
sideratio de usu pœnitentiarum & morti-  
ficationum externarum. *Vide Hor. Schol. p.*  
*192. Ex Tho. Kemp. L. 2. c. 12. L. 3. c. 41.*

## DIES VII. Vacationis.

**M**editatio de 7. verbis Christi in cruce  
prolatis. Medio *6ra* repetitio. *Ex*  
*Tho. Kemp. L. 3. c. 56.*

## HEBDOMAS IV.

**C**ujus finis, contemptis terrenis, quæ-  
rere cœlestia, ac Deo totū inhærere.

## DIES I.

**M**editatio I. De Christi resurrectione  
& apparitione prima. *II.* De apparitione  
2. & 3. *III.* De apparitione. 4. Consi-  
deratio de religiosa corporis refectione.  
*Vide Hor. Schol. p. 151. Ex Tho. Kemp. L. 3.*  
*c. 5. 6.* Legenda 1. Regulę si quę re-  
stant. 2. Tertius modus orandi & quid-  
quid residuum est ex Libro Exercitiorum  
& Directorio. 3. Epistola S.P.N. De per-  
fectione. 4. Epistola P. Claudii de charitate  
fraterna. 5. Deniq; caput 40. Directorii.

## DIES II.

**M**editatio I. De apparitione 5. II. De apparitione 6. & 7. III. De amore Spirituali. *V. P. Gaudier. Consideratio de Lektionē Spirituali. Vide Hor. Schol. pag. 207. Ex Thom. Kemp. L. 1. c. 8. & 11.*

## DIES III.

**M**editatio I. II. III. De divinis beneficiis, Creationis, Conservationis, Redemptionis, Vocationis ad fidem, Religionem &c. Consideratio de cultu B. V. & S. Angeli Custodis. *Vide infra in appendice. Ex Thom. Kemp. L. 3. c. 22. L. 4. c. 9.*

## DIES IV.

**M**editatio I. De Christi Ascensione. II. De gloria Beatorum quoad corpus & animam. III. De beatę vitę æternitate. *P. de Ponte p. 6. medi. 52. & 51. Consideratio de oratione vocali, litanis, rosario, salutatione angelica, benedictione mensę. Vide Horol. Scholast. variis locis. Ex Thom. Kemp. L. 3. c. 47. 48. 49.*

## DIES V.

**M**editatio I. De Apostolorum præparatione ad accipiendū Spiritum S. II. De missione Spiritus S. III. De fervore

vore S. Petri & aliorum Apostolorum. *P. de Ponte p. 5. medi. 20. Consideratio de praxi præsentis Dei. Vide P. de Ponte in duce spirit. P. Arias. P. Crombecium. Ex Thom. Kemp. L. 3. c. 54. & 55.*

## DIES VI.

**M**editatio I. De natura, causis, motivis, ac mediis perfectionis. *P. Gaudier c. 3. & 4. Vide Hor. Schol. in Instructione prævia pag. 1. & seqq.* II. De mortificatione & devotione conjungendis, tanquam mediis perfectionis. *P. Gaudier c. 14.* III. De accurata observatione Regularum, exacto operum exercitio. *P. Gaudier c. 23. §. 1. 2. 3. 4. 5. 6. Vide etiam supra in Instruct. Novit. pag. 41. Ex Thom. Kemp. L. 1. c. 19. L. 3. c. 21.*

*Deniq; in Sacello domestico oblatio & confirmatio propositorum in Exercitiis factorum. Psalmus quinquagesimus pro defectibus admissis in Exercitiis. Et Te Deum Laudamus.*

## DIES VII.

**R**epetitio tertię meditationis præcedentis diei. Recreatio totā die. Medio 6. Repetitio propositorum. Finis,

**NB.** Ne verò proposita, ut fit, sensim sine sensu, oblivioni tradantur & evanescant, subinde in examine conscientia ad ea reflectendum. Item in recollectione mensura & hebdomadaria (de quibus infra in appendice) eadem discutienda, revidenda, attendendum, quomodo observentur.

\*\*\*\*\*

## SCHOLÆ AFFECTUS.

### PARS II.

*De affectibus, qui juxta triplicem viam perfectionis, & finem tertii anni, tempore tertiae probationis, excitandi sunt.*

**Q**uemadmodum mundani homines, præter refectiones ordinarias & quotidianas, extraordinaria quandoque apparent convivia, quibus abundantius & lautius reficiantur. Et quemadmodum præter rorem singulis ferè noctibus decidentem, uberores cælum subinde dat pluvias, quibus terra sic immadescat, ut nec urentes venti, nec solares radii eam facillè deinde desiccant. Ita Societas nostra Filiis suis, præter quotidianam spiritûs refectionem,

&c

& ordinarium quasi devotionis rorem, annuam spiritûs mensuram, & diuturniores gratiæ pluvias offert, ne inter occupationes deinceps demandandas, vel esuriam animabus noxiam patiantur, vel prosperis rerum eventibus, tanquam benignioribus solis radiis exurantur, vel adversitatum ventis omnino exsiccantur. Præcipuum verò pabulum & gratiæ pluviam præbent affectus, quos secundùm triplicem perfectionis viam subjungimus.

## CAPUT I.

*De affectibus viae purgativæ.*

**P**rima pars finis tertiae probationis, ut innuunt Ordinationes Generalium, in plena & absoluta sui abnegatione consistit, & sequentes affectus exigit.

*Affectus I.* Tristitiæ seu doloris, contritionis & pœnitentiæ ob commissa peccata. *Memor esto, unde excideris, & age pœnitentiam.* Apoc. 2. *Pœnitentiam verò agere* ut ait S. Gregor. hom. 34. *in Evangelio, & perpetrata mala plangere, & plangenda non perpetrare.* Plangent igitur PP. TT. 1. *Tantam vitæ religiosæ partem, & quidem primam atque optimam, adedè malè*

G 4

in

infumptam. 2. Plangent tantam suam, post tot accepta à Deo beneficia ingratiudinem. 3. Plangent tantam suam, post tot meditationes, & illustraciones, exhortationes & admonitiones, exomologeses & synaxes, examina & proposita, exercitia & lumina, inspirationes & exempla vel frigidissimum inflammatura, tepiditatem. 4. Plangent tantam in sectando creationis suæ sine socordiam, tamque inordinatum rerum creatarum usum. 5. Plangent tam crebrum à regulis & Instituto S. P. N. recessum, & perfectionis semita, exorbitationē. 6. Plangent temporis aded pretiosi & nunquā redituri amissionem. 7. Deniq; plangent centies & centies fortè repetitas sensualitates, curiositates, intemperantias, jactantias, & vanitates tot annorū decursu non emendatas. Et doleant intimè, ac detestentur, ut sic Dei voci obtemperent Joëlis 2. *Convertimini ad me in toto corde vestro, in jejuniis & fletu & planctu.*

*Affectus II. Odii peccatorum & propositi emendationis.* Altera enim pars penitentia ex mente S. Gregorii est, plangenda denuò non perpetrare, Existiment itaque

PP. TT. sibi à Deo per Jerem. c. 1. dictum: *Constitui te, ut evellas*; in hoc tertio probationis anno peccata tua: atq; ita quidem ut 1. Nunquam deinceps Deum cum plena deliberatione offendas; nam deliberatè peccans, ut ait S. Theresia, re ipsa dicit: Domine quamvis id tibi displiceat, nihilominus id ipsum committam, & licet te id nolle sciam, meam tamen voluntatem tuæ antepoñam. 2. Ut ne quidem indeliberatè unquam perpetres peccatum veniale gravius, vel periculosum, à quo facilis lapsus in peccatum lethale. 3. Ut etiam peccata materialia devites, quæ culpæ non sunt ob inadvertentiam. 4. Ut etiam speciem peccati venialis declines, statimq; deplores & aboleas. 5. Ut multas, variasq; peccatorum venialium species non admittas. Paulus Cicotus noster Coadjutor cum fama sanctitatis Romæ mortuus, ajebat annuam Confessionem suam non differre ab hebdomadaria, nisi numero peccatorum. 6. Ut etiam contra paucas venialium species non sæpe delinquas sed rarissimè, & quodammodo impeccabilis evadas, id est, ut agrè & difficulter labaris in ea peccata,

quæ ob humanam fragilitatem etiam à perfectis & sanctis nonnunquam committuntur. *Omnis, qui natus est ex Deo, peccatum non facit, & non potest peccare.* 1.

Joan. 3.

*Affectus III. Mortificationes heroica passionum. Constitui te, ut non tantum evellas, sed & destruas.* Jerem. c. 1. Peccata radicibus evellenda sunt; passiones evelli nequeunt, sed destrui, quemadmodum herbas noxias conculcando destruimus: Apathiam enim Stoicorum obtinere, impossibile esse docet S. Hieronymus, S. Augustinus, Tertullianus & alii. Studendum itaque PP. TT. ut passiones destruant, omniū ferè peccatorum radices. Quid enim juvat rivulos emanantes exhaurire, & fontem ipsum ebullientem non obstruere? Quid juvat saniem effluentem abstergere, & de ulcere aut apostemate curando non laborare? Passiones autem, quas Græci *πάθη*, Cicero perturbationes dixit, ut explicat S. Joannes Damascenus & Doctor Angelicus, sunt motus sensibiles, seu sensitivi potentiæ appetitivæ, ob imaginationem boni, vel mali provenientes.

In

In appetitu concupiscibili fenas reperies. 1. Amorem. 2. Odium. 3. Desiderium seu concupiscentiam. 4. Fugam seu abominationem. 5. Delectationem seu gaudium. 6. Tristitiam seu dolorem. In appetitu irascibili quinas deprehendes. 1. Spem. 2. Desperationem. 3. Audaciam. 4. Timorem. 5. Iram. Omnium verò Dux & Princeps est amor proprius, sive inordinatus. Hi itaque hostes destruendi & debellandi ita ut 1. licet vehementer infestent, nunquam tamen te ad peccatum pertrahant. 2. Ita hebetentur, ut ne quidem in periculum propinquum peccati te conjiciant. 3. Ut earum motus non sint vehementes, nec admodum perturbent. 4. Ut insultus earum mox generosè comprimantur. 5. Ut rarò contra rationem insurgant, & quidem non nisi lenissimè. 6. Ut iis aliàs ad malum inclinantibus nunc tantum utaris in bonum. Exemplo S. P. N. Ignatii, qui assiduà pugna victoriam & dominium passionum obtinuit.

*Affectus IV. Abnegationis & destructionis omnimoda pravorum habituum, ex repetitis crebrò pravis actibus prognatorum;*

rum; in quos, passionum motus non reprimendo, nec tentationibus resistendo lapsi sumus. De his dici potest PP. TT. *Constitui te in tertio anno, ut differdas per acquisitionem contrariorum habituum bonorum.* Verum hosce domesticos hostes & animæ proditores, uno impetu perdere nequimus, sed paulatim atq; per partes, exemplo S. Dorothei, qui Discipulum suum Dositheum, in sæculo vix sex libris panis in prandio uno contentum, exiguam partem detrahendo, paulatim & sensim sine sensu famis & gulæ reduxit ad octo uncias.

Quare PP. TT. cum Davide statuant: *Persequar inimicos meos, comprehendam illos & non convertar, donec deficiant; &* 1. tam strenuè in contrariis actibus eliciendis sese exercent, ut inclinatio ad peccatum per actus pravos acquisita, indies notabiliter minuatur, & quasi limâ ferrum abradatur, & major facilitas tentationibus resistendi sentiatur. 2. Eò pertingere allaborent, frequenti actuum contrariorum exercitio, ut quodammodo difficultatem & nauseam ad actus pravos sentiant

tiant & desiderium, affectumq; efficacem ad executionem boni, habitibus pravis contrarii. 3. Deniq; eò cum gratia divina eluctandum est, ut moralem quandam impossibilitatem ad omnes actus pravos sentiant, cum Joseph dicentes Gen. 39. *Quomodo possum hoc malum facere? & cum Apostolo Rom. 8. Certus sum, quia neq; mors, neq; vita, poterit me separare à charitate Christi.*

*Affectus V. Resistentia generosa, & victoria tentationum.* Constitui te ut dissipes tentationes. Militia est vita nostra, quod si hactenus non sat strenuè militavimus, nunc saltem in tertio anno, generosè inchoemus, ne post in missionibus, aliisque periculosioribus officiis turpiter succumbamus. Tentationes aliæ à naturali complexionem, aliæ à pravis habitibus, aut passionibus, aliæ à Diabolo ortum ducunt. Easque, ut ait Cassianus Coll. 6. c. 11. Deus plerumq; evenire permittit ob probationem, nonnunquam ob emundationem, interdum ob merita delictorum. *P. Cornel. Vischavans Belga apud Sacchinum To. 2. Hist. Soc. L. 3. n. 58, ait Dæmonem*

nobiscum pugnare hastâ, gladio, seipso. Hastâ, cum quasi eminens externarum rerum specie objectâ sollicitat: gladio, cum per corpus nostrum nos cominus aggreditur: seipso cum phantasiam ipsam invadit, eamq; variè movet, & hoc tertium certamen est gravissimum & maximè viros pietati deditos oppugnat. Contra omnes PP. TT. generosè dimicent 1. Ut eos nunquam in peccatum inducant, Ne nos inducas in tentationem. 2. Ut eos nec in peccati pericula conjiciant. 3. Ut nec eos vehementer perturbent & inquietent. 4. Ut non oriantur sæpe ex propria culpa, vel incuriâ, vel negligentî sensuum custodia. 5. Ut invadere solitas, faciliè superent, & minus sentiant. 6. Ut veteres tentationes ita minuantur, ut vix sentiantur, vel etiam omnino cessent.

*Affectus VI. Abnegationis strenua sensuum.* quam S. Pat. Nost. valde inculcat Const. c. 1. §. 4. ubi jubet portas sensuum diligentissimè custodire. Noverat S. Pater utriusq; militiæ gnarus, quanta belli tempore ex negligentî portarum custodia pericula oriantur. Hinc tanta Gubernatorum

rum vigilantia, & intrantium examen. Et sanè quid nobis prædest hostes, id est, peccata expulisse, si portæ relinquuntur apertæ, per quas denuo intrare valeant? *Ascendit mors per fenestras.* Jerem. c. 9. Tunc autem, ait S. Gregorius L. 21. Moral. c. 2. Mors intrat per fenestras, & domum ingreditur, cum per sensus corporis, concupiscentia veniens, habitaculum intrat mentis. Omnium verò diligentissimè custodiendus Tactus, periculosissimus omnium. Deinde visus, ita ut oculi nunquam desigantur in vultus alienos, præsertim sequioris sexûs. *Averte faciem tuam à muliere compra.* Eccli. 9. *Pepigi fœdus cum oculis meis.* Job. 31. Noluit enim aspicere, ne prius incautè aspiceret, quod postmodum invitus amaret, ait S. Hieronymus. Et S. Macarius ep. ad Monast. inquit. Facies mulieris, sagitta est truculenta, insigit vulnus in animam. Et S. Chrysoft. L. 6. de Sacerd. c. 8. Animam ferit & commovet, non impudicæ tantùm, sed pudicæ quoque mulieris oculus. Hinc P. Lud. de Ponte, P. Realinus, Alphonfus Rodriguez 40. annis Janitor, nullam de-

facie noverant. Non es Adamo innocen-  
tior, Samfone fortior, Lotho Castior, Da-  
vide sanctior, Salomone sapientior; si igi-  
tur per horum portas malè custoditas  
mors intravit, quid tibi, nec innocenti, nec  
forti, ne sancto eveniet?

*Affectus VII. Assidua mortificationis  
lingue.* Si quis putat se religiosum esse, non  
restræans linguam suam, hujus vana est  
religio, ait S. Jacobus c. 3. Omissis autem  
mundanorum vitiis, adhærent nonnun-  
quam Religiosis quædam contentio, ja-  
ctantia, secreti revelatio, mendacium, otio-  
sitas, loquacitas, imprudentia, importu-  
nitas irreverentia, scurrilitas, contemptus  
aliorum & detractio. Verùm nihil ita ca-  
vendum atq; detractio, alterius famæ &  
exillimationis denigratio, alienorum defe-  
fectuum præterquam Superiori, relatio &  
revelatio. Nihil enim magis detestabile.  
*Abominatio est hominum, detractor* Prov.  
24. 8. Chrysoſtomus Detractores Dæmo-  
nibus pares & fortè pejores esse asserit;  
nullus enim Diabolus alteri detrahit. *De-  
tractores Deo odibiles.* Rom. 1. S. Bernar-  
dus Serm. 3. de Dedic. Proditores nomi-

nat, eorum linguam ait esse viperam &  
lanceam, tres uno icu vulnerantem. D.  
Thomas 2. 2. q. 73. docet paucos esse vel  
nullos, qui non sint detractionibus di-  
cendis obnoxii. Confirmat id P. Lancicius  
asserens non esse ullum vitium in quod  
religiosi frequentius labantur, & audivisse  
se Romæ in exhortatione domestica P.  
Claudiū Aquavivam asseverantem; Con-  
sultos à se doctissimos in Societate nostra  
Theologos, respondisse, nulla alia in re,  
in Societate, facilius posse Deum peccato  
lethali offendi, quàm sermonibus, quibus  
aliorum fama patiat. Nec ex sententia  
D. Thomæ & Theologorum omnium,  
gravitas læsionis famæ tantum ex gravitate  
rei, quæ dicitur, sed etiam ex personæ digni-  
tate & damnis illatis, desumitur, caveant  
ergò sibi PP. TT. quàm diligentissimè.

*Affectus VIII. Intensissimi odii & abne-  
gationis amoris proprii.* Quod unice à PP.  
TT. postulat S. P. N. abnegationem sci-  
licet, universi amoris sensualis. 3. p. Const.  
c. 2. Quia hic amor, ut docet D. Thomas  
1. 2. q. 77. à 4. est origo omnium pecca-  
torum. Cur enim superbus ambit hono-  
res,

res, nisi quia se inordinatè amat & æstimat. Cur quærit illicitas voluptates? Nisi quia se inordinatè amat &c. Similiter, ut docet S. Augustinus L. 14. de Civitate. Hic amor est motor omnium passionum. Amor, inquit, inhians habere, quod amatur, cupiditas est; id autem habens, lætitia est, fugiens, quod ei adversatur, tristitia est. Amor igitur cardo est, in quo tota respublica interna vertitur; & si bonus, fons omnium bonorum: si malus omnium malorum scaturigo est. Hic autem Amor proprius inftar Draconis rufi Apoc. 12. Septena numerat coronata capita, longè latèque dominantia *imum* est. Contra paupertatem, reculis quibusdam curiosis, aut non necessariis animum affigere. 2. Superfluas, & non necessarias voluptates & recreatiunculas captare. 3. Dona naturæ & gratiæ supra meritum magna & omni æstimatione digna reputare, in nullo sibi displicere, complacere in omnibus, atq; ex rectè factis vanam gloriam concupiscere. 4. Nimiâ curâ polire & perficere ea opera, quæ visuri sunt homines, ut conciones disputationes; magnâ verò incuriâ peragere ea, quæ

quæ videt Deus, ut meditationes, orationes, examina. 5. Desiderare alios laude & honore transcendere, loca & officia honoratiora appetere, viliora detrectare. 6. Contemptū & vilipensionem immodicè reformidare, & si hæc accidant tristitiâ nimiâ obrui. 7. Ex metu displicendi aliis & respectu humano, quæ Deo placent, omittere. Hæc septena capita PP. TT. strenuè gladio spiritûs amputent.

*Affectus IX. Abnegationis proprii iudicii.* Hinc requirit S. P. N. à PP. TT. 5. p. Const. c. 2. ubi ait eos exercendos esse in abnegatione proprii iudicii. S. Hieronymus ad Rust. ep. 4. Credas salutare, quidquid præpositus præceperit, nec de majorum sententia iudices. S. Gregorius L. 2. c. 4. in Reg. 1. Nescit iudicare qui perfectè didicerit obedire. *Ut iumentum factus sum apud te* psal. 72. Stultum te secundū Apostoli sententiam facias in hoc mundo, ut sis sapiens, nihil discernens, nihil dejudicans, sed cum omni simplicitate, ac fide obedientiam semper exhibens, ait Cassianus L. 4. Inst. c. 4. Nunquam igitur PP. TT. suo iudicio firmiùs insistant, sed il-

illud Superioris iudicio subijciant, & velut in rebus fidei, intellectum captivent, inviolabiliter statuentes, ea sibi convenientissima, optima ac debita, quæ Superiores, quoad gradum, locum, officium & omnia alia ordinabunt. Nec mutationē unquam per se vel alios procurent, sed totos se Providentiæ divinæ & Superiorum Ordinationi committant, & sibi à Superiore dictum putent, quod dictum S. Josepho, ab Angelo Dei locum tenente. *Esto ibi, usq; dum dicam tibi.*

*Affectus X. Omnimoda renunciationis propria voluntatis.* Hanc S. P. N. jam in Novitiatu à Scholasticis nostris acquisitam supponebat. Ideoq; cum P. Hieronymus Natalis Visitator in Hispaniam missus Anno 1553. à variis rogatus, Scholasticis præter ordinariam orationis horam, aliam semihoram adjecisset, molestissimè id tulit S. Ignatius, acriterque reprehendit Natalem præserte P. Confalvo, à quo hoc annotatum in Diario, asserens homini verè mortificato sufficere unum quadrantem orationis; eò quòd mortificatio propriæ voluntatis plus uno quadrante conferat utili-

utilitatis, quàm immortificato duæ horæ orationis: Eapropter hanc adeo PP. TT. inculcavit 5. p. Const. c. 2. liquidem eam in Tirocinio non perfectè acquisierint, nunc saltem in ultima probatione obtinere laborent. Nihil appetendo, nihil refugiendo, sed plenam resignationem & indifferentiam, in omnibus, locis, occupationibus, gradibus, personis, præferendo. P. Balthazaris Alvarez consilium sequentes, qui c. 5. vitæ, sub obedientia constitutum volebat cogitare, quid esset cras de se futurum: responsio enim in promptu est: faciam quod jubebor, erit quod voluerit Deus, & hoc totum meum lucrum est, ut Deo satisfaciam. Quod docuit idem ipse quoq; præstitit: nam à Rectoratu Salmanticensi missus Villigartiam, ad oppidum parvum, libentissimè eò se contulit, optans illic, si Deo placeret, vitam finire. Nemo enim, inquietabat, potest alium vel altiorem locum prætere, quàm in quo ab ipso Deo collocatur.

*Affectus XI. Abnegationis & extinctionis universi amoris & spiritus naturalis.* Hanc abnegationem vehementer inculcavit

vic S. P. N. in constitutionibus. Hic enim Spiritus sub specie pietatis in patriam & populares, malignatur, & veræ charitati profus repugnat, utpote Spiritus non unionis, sed divisionis; Spiritus mundi, non Christi, Spiritus Dæmonis, non Societatis. In hoc enim cognoscent omnes, quod Discipuli mei estis, si dilectionem habueritis ad invicem. Joan. 13. Discipuli Philosophorum veterum cognoscuntur ex sententiis, Discipuli Pharizæorum ex operibus in speciem bonis & hypocriticis, Discipuli S. Joannis ex asperitatibus & jejuniis; at Discipuli Christi ex sincera charitate. Non discernuntur Filii Dei à Filiis Diaboli, nisi solâ charitate, ait S. Augustinus in Joannem.

Quid est Societas, nisi Exercitus sub crucis Labaro, Christo militans, contra Mundum, Carnem, Dæmonem? Tolle unionem, tolle charitatem, quid nisi confusa turma & turba erit? quas animas lucrabitur? quas victorias reportabit? Sit ergo Societas velut Exercitus Machabæorum. 1. Reg. 11. Qui licet constaret trecentis millibus, tamen egressus est, quasi

vir

vir unus. Sic erit, ut castrorum acies bene ordinata, omnibus hostibus visibilibus & invisibilibus terribilis. Et sanè quid refert in prælio contra Turcas, num miles Germanus sit, an Hispanus, modò strenuè dimicet? Quid interest, in acie contra Dæmones, cujus miles sit patriæ, modò generosè pugnet? Est Societas nostra Domus bene fundata; tolle charitatis calcem, & in acervum resolvetur. Est Societas navis arctè compacta, in cælum tendens onusta spoliis animarum; tolle clavos, & naufragium patietur.

Est Societas Horologium toto orbe clarè resonans, tolle rotarum juncturas, & nullus erit usus. Maxima primæ Societatis gloria fuit unitas, habita pro miraculo inter nationes adedò diversas. S. Ignatius erat Cantaber; S. Xaverius Navarrus; P. Faber Allobrox; P. Codurius, Gallus; P. Rodericus, Lusitanus &c. & tamen quanta inter eos unio charitatis, licet Gallia & Hispania Reges bello internecino flagrant? Quanta tunc concordia & unio animorum, quando cuique, sine reflexione ad patriam, nemine reclamante, pro

pro usu, pro necessitate locus & munus assignabatur? Quando iubente S. Ignatio, cunctis probantibus Rector primus Collegio Romano Gallus imponebatur, Hispanus Parisiensi, Perusino Belga, Patavino Gallus? Erat, enim verò (scribit P. Ribadeneira de Collegio Panormitano in Soliloquiis suis) res propria tuæ manûs, & imago quædam primitivæ Ecclesiæ, videre Flandros, Italos, Hispanos & Gallos, tempore tantorum bellorum inter Hispaniam & Galliam, vivere nihilominus inter se, cum tanto amore ac si non haberemus nisi unum cor. Et verè erat nobis una anima in Christo. Discant hoc PP. TT. in schola affectûs & charitatis ut juxta Reg. 42. Summarii, unio & conformitas diligentissimè curetur. Et juxta Reg. 43. sit universalis amor. Omnes Fratres sumus in Christo, omnes Christi membra, æternùm cum eo, ut speramus, regnaturi in cælis; nullus proinde sinistrè de alio loquatur, nullus aversionem foveat, sed omnem cogitationem charitati contrariam, vel ut pestem fugiat, vel ut cogitationem impuram aut blasphemam, quamprimum repellat atque eliminet.

*De affectibus via illuminatiue.*

**A**ltera pars finis tertie probationis est, studium virtutum, secundæ & tertie Exercitiorum hebdomadi, seu vice illuminatiue respondens: ita enim loquuntur Ordinationes Generalium n. 2. Finis est, cum Divina gratia ad virtutes Religioso dignas incumbere. Constitui te, non tantùm, ut evellas & destruas; sed & ut adifices & plantes, in animo tuo præstantissimos virtutum flores: præcipuè verò sequentes.

*Affectus I. Amor, desiderium, & studium virtutum verarum, solidarum & perfectarum.*  
In quas S.P.N. nos vult incumbere p. 10. Const. §. 2. Conari oportet, ut simus, quod de Simone Sacerdote dicit Ecclesiast. c. 5. *Vas auri, solidum, omni lapide pretioso exornatum.* 1. Simus vas aureum, non orichalcinum, non exterius deauratum, sed verè aureum, virtutibus veris, non fictis conspicuum. Quæ non sint tantùm externæ, hypocriticæ, simulatæ, speculativæ; sed internæ, sinceræ, practicæ. Separandum ergò pretio-

sum à vili. 2. Simus *vas auri solidum*. Ut instructi simus virtutibus bene fundatis, & constantibus. Homo Sanctus, inquit Ecclesiasticus c. 27. Permanet in sapientia ut sol, stultus ut luna mutatur. Sintque inviolabiles, qui non flectantur, non imbibant mundanorum mores, non cedant. Non sit similis ceræ molli, ait Cassianus, quæ faciliè quavis figurâ signatur: sed sit velut signatorium adamantinum, quod omnia signat & transformat. Tales requirebat S. P. N. in epistola 1553. ad quemdam è nostris data: Meminerit *R<sup>va</sup> Deum* requirere à nobis virtutes solidas, qualis est patientia, humilitas, obedientia, prompta Deo serviendi voluntas. Solidæ sunt, ait Suarez, quæ in vera humilitate, & contemptu rerum omnium temporalium, puròque Dei amore fundantur. L. 8. c. 9.

3. Simus *vas omni lapide pretioso exornatum*: possideantque virtutes perfectas. 1. In extensione, ut ad plurima objecta ardua se extendant. 2. In intensione, ut intensi actus eliciantur, qui quævis obstacula perumpant. 3. In conjunctione, ut omnium virtutum gemmæ in corona fulgeant illustrius.

*Affectus II. Desiderium & exercitium vive fidei*: Fides ex mente Doctoris mellisflui triplex est, mortua, ficta, viva. 1. Fides sine operibus mortua est. Jacobi. 2. Quia charitate destituta est. Lampas sine oleo, bombardâ sine globo, navis sine velo, corpus sine anima. 2. Fides ficta est, quam ut declarat S. Bernardus Serm. 2. in Cant. tanquam vas fictile, fragilis est, & minimè durans, & in tempore tentationis recedens. 3. Fides viva & optima, ut docet D. Thomas 2. 2. q. 5. a. 4. habet ex parte intellectus magnam certitudinem & firmitatem; ex parte verò voluntatis magnam promptitudinem seu devotionem, vel confidentiam. Atque hæc viva fides fundamentum est totius vitæ spiritualis. Est lucerna lucens in caliginoso loco, est stella splendida & coruscans, quæ ex mente Henrici Harphii L. 1. p. 2. c. 87. Theologiæ mysticæ, quinos in anima producit effectus 1. Velut fax accensa illuminat & dirigit; credenda, amplectenda, fugienda demonstrat. 2. Excitat, vegetat, vivificat. Justus ex fide vivit Rom. 1. 3. Purificat. Fide purificans corda eorum Act. 15. 4.

Nobilitat & Dei Filios constituit. Dedit eis potestatem Filios Dei fieri, his qui credunt. Joan. 1. 5. Roborat, confortat & quodammodo invincibilem reddit. Unde suadet Apostolus: In omnibus sumentes scutum fidei, quæ omnia ardua vincit. Hanc igitur fidem PP. TT. in schola affectus acquirere studeant, quæ in anima velut sol in cælo tenebras imperfectionum depellet, motum, vitam, decorem, calorem & delectationem tribuet; ut coram Deo in iustitia & sanctitate ambulent, sancta sanctè tractent, omnia adversa tanquam telas araneorum dissipent, & omnium virtutum actiones cum gaudio exercent.

*Affectus III. Amor, desiderium, affectus crucis & adversitatis.* Hæc est brevissima & altissima lectio in scholâ affectus addiscenda, *patri & contemni*: quod pro symbolo in hac palæstra tertie probationis assumendum est. Hæc enim sunt Christi insignia, quæ Dux noster nos vult totis viribus concupiscere c. 4. Exam. §. 44. Hæc est nota germanorum Discipulorum Christi: *Qui enim non bajulat crucem suam, non potest meus esse discipulus* Lucæ 14.

Hæc est arrha prædestinationis æternæ. *Quos præscivit & prædestinavit conformes fieri imaginis Filii sui.* Rom. 8. Hæc est tessera genuinorum Dei Filiorum. *Si flagellat*, ait S. Chrysostomus hom. 29. in Ep. Hebr. *Omnem Filium, quem recipit*; qui non flagellatur, sine dubio non est in numero Filiorum. Hæc deniq; est via ad perfectionem & sanctitatem tutissima: Rogatus S. P. N. teste Ribadeneira L. 5. c. 10. quam compendiosissima ad perfectionem esset via: Respondit, si multa ac magna adversa, pro Christi amore patiâre: pete hanc gratiam à Deo; nam cui Dominus hoc tribuit, multum tribuit, hoc enim uno beneficio multa ac magna beneficia continentur. Hic jam fides viva oculos aperiat, ut videat thesauros in cruce latentes, & pretium ejus æstimare nòrit, cum S. Paulo, S. Andrea, S. Laurentio, S. Stephano S. Ignatio M. S. Theresia, Pazzia, aliisque SS. innumeris. Et in hos, & vel maximè in authorem fidei Jesum aspiciat, qui proposito sibi gaudio sustinuit crucem. Et Christo in carne passo, eadem cogitatione armetur. Ideo ad Societatem

venimus, ajebat P. Balthasar Alvarez, ut discamus artem faciendi crucifixos.

*Affectus IV. Amor, affectus & desiderium contemptus.* Hæc est altera pars Christi insignium, quæ S. P. N. vult nos ardentè concupiscere & querere: ex motivis prædictis: eò quod exoptant assimilari & imitari aliquo modo Dominum nostrum Jesum Christum, ejusque vestibus & insignibus indui, tanquam famuli, amici, filii. B. Joannes à Cruce vir raræ sanctimonix & cum S. Theresia familiæ Carmelitanæ reformator, preces fundens ante Crucifixi effigiem, ex eo audivit: Joannes quid petis pro laboribus? Cui ille respondit: Domine pati & contemni pro te. Affectus hujus basis est, sui cognitio, ac propriæ vilitatis, ignorantix, ac malitiæ intimæ penetratio. P. Balthasar Alvarez P. Ludovico de Ponte sub finem tertij anni rationem conscientix reddenti, dixit: Hoc est habere virtutem infantilem, & nondum adultam, oportet eam roborare. Quæ verba Ludovici cor ita pupugerunt, ut ex eo tempore huic contemptus desiderio insistere statuerit, animatus quoq; exemplo

P. Christophori Gonzalvi in tertia probatione Collegæ: qui in scientia & Philologia, tacendo & perperam respondendo, contemptum & ignorantis nomen querens, excellentis orationis & familiaritatis cum Deo donum obtinuerat. c. 47. vitæ P. Balth. Hunc affectum PP. TT. oratione & mortificatione assiduâ obtinere allaborent, à Duce suo contemptu & opprobriis saturato, & à minimis incipiant, ac primum Alphabeti Spiritualis gramma addiscere studeant: Ama nesciri & pro nihilo reputari. Quod si nondum didicerint, omnem suam perfectionem infantilem, non adultam æstiment, basi solidâ carentem, nam teste S. Cypriano: Fundamentum Sanctitatis semper fuit humilitas. Et ut Cassianus: Tantum quisq; habet virtutis, quantum humilitatis. Similes affectus paupertatis, obedientix, resignationis, aliarumq; virtutum solidarum in hac affectus scholâ imbibendi sunt, ut paulatim fiat discipulus, sicut est magister ejus.

## CAPUT III.

*Affectus via unitivæ.*

Tertia pars finis assignata & præfixa

PP. TT. in Ordinationibus Generalium est, ut fiat homo in vita spirituali perfecte. Ea verò perfectio; integraliter quidem in collectione virtutum, sed essentialiter in charitate Dei & proximi consistit: quæ est vinculum perfectionis. Quam ut assequantur, S. P. N. p. 5. Const. c. 1. §. 2. commendat, ut Patres in hac tertia probatione insistant iis, quæ ad majorem cognitionem & amorem Dei conferunt. Ut scilicet tot annis speculativis intenti, nunc non solum illustretur intellectus, verum etiam inflammetur affectus, & practicè amor Dei exerceatur: nemo enim veram Dei cognitionem assequetur, nisi cognitionem eum praxi conjungat: & in affectibus sequentibus assidue, fervidèq; se exerceat.

*Affectus I. Intimum desiderium, studium, indefessum magis, magisq; cognoscendi Deum & Dominum nostrum Jesum Christum. Hæc cognitio illustris Divinitatis & Christi est origo amoris, fons omnis boni & virtutis. radix perfectionis & immortalitatis. Nosse enim Te, consummata justitia est, & scire justitiam & virtutem tuam, radix immortalitatis. Sap. 15.*

Quia

Quia ex hac cognitione sublimi & eximia, velut ex luce calor, ex vita motus, ex visione pulchri, amor nascitur, & mundi, contemptus, omnis justitia & perfectio consummata exoritur. Quemadmodum è contra ex ignorantia Dei, omnis corruptio, impietas & tepiditas profluit. Ignoti nulla cupido. Et nihil volitum, nihil amatum, quin præcognitum. Hinc tanta subito Apostolorum perfectio, quia festo Pentecostes mirè illuminati sunt circa Divinitatem & Humanitatem Christi. Et B. Virgo initio conceptionis, & S. Patriarcha noster Manresæ. Quid verò nos in imperfectionibus detinet, tot annis, nisi cognitionis hujus illustrioris defectus? Ob hoc enim, ait S. Augustinus, in soliloq; c. 1. Non te diligit anima mea, Domine, si te non diligit, quia te non cognoscit. Hæc autem cognitio fit primò per fidem vivam, deinde modo excellentiori per donum Sapientie, quod ex illustratione divina provenit, & oratione & vite puritate assidue procurandum est, tamen ordinariè quoq; studio nostro & meditatione opus est, quæ non merè speculativa, sed activa,

H 5

effi-

efficax & practica sit, tendens ad amorem, eumq; efficiens.

Itaq; pro hac illustratione, sapientiæ dono, & scientia Sanctorum PP. TT. hæc media seruiunt. 1. Orationes & suspiria crebra & ardentia: Noverim me, noverim te! 2. Meditentur attentè & profundè attributa & magnalia Dei, quæ præclare exponit P. de Ponte in med. p. 6. 3. Legant Libros de his tractantes & praxi seruientes, quales sunt S. Dionysius de divinis nominibus. Lessius prolixè in tractatu de attributis divinis, succinctè in libello præclarissimo de 50. nominibus Dei. P. Jacobus Alvarez & alii. 4. Crebrò colloca-tione verè spirituali se excitent. 5. Puram, mundamq; contentur habere mentem, quæ velut nitidum speculum excipiendis radiis cœlestibus apta est. *Beati mundo corde quoniam ipsi Deum videbunt.*

*Affectus II. Desiderium & exercitium memoria assidue Dei, & divina presentia.* Deus te semper in memoria gerit, ab æterno de te cogitavit, & nunquam tui memoriam deponit: Tu semper in illo es, tanquam avis in aère, tanquam piscis in aqua,  
imò

imò tanquam spongia in vasto mari, intra te & extra te Deus, Deus semper in te tanquam in templo suo habitat: in corde tuo velut in throno residet, semper tui curam gerens, te conservans, custodiens, illuminans, veluti caput in membra influens, spiritualibus solatiis te paternè amplexans, omnibusque vitæ momentis innumeris te beneficiis cumulans. Et tu de illo ratò aut vix cogites? Præclare S. Augustinus in soliloq. sicut nulla hora vel punctum est in omni vita mea, quo beneficio tuo nõ utar, sic nullum debet esse momentum, quo te non habeam in memoria mea, & te non diligam in omni fortitudine mea. Hæc vis amoris est, ut amans de amato semper cogitet. Et anima ibi plus sit, ubi amat, quam ubi animat: hinc amicus amicum, sponsa sponsum, Mater filium identidem mente revolvit. Hæc memoria vitia reprimat, imperfectiones arcet, orationem perficit, virtutes excitat, amorem accendit: & tanquam sinceræ dilectionis tessera cor & cogitationes amantis in amatum transfert & absorbet. Et hunc affectum PP. TT. imbibant assiduo exercitio; memoria  
ju-

juvat amorem, & amor memoriam, & velut pondus ad amatum, velut centrum inclinatur. Illud feror quocumque teror. Hoc ergo sit exercitium: alias *Omne tempus, in quo de Deo non cogitas, hoc te computes perdidisse*, ait S. Bernardus medit. c. 6.

*Affectus III. Amor Dei affectivus.* Pone me ut signaculum super cor tuum. Cant. 8. & me affectui tuo imprime: præclare Guilielmus Parisiensis; id exponit: Imprimere mihi quasi signaculo, per amorem mihi fortiter adhærendo, ut à me quasi signaculo formam accipias, ut mea subtili expressione similitudinem trahas; quanta fuerit expressio amoris, tanta & erit expressio similitudinis: quanto mihi firmiùs per amorem inhæseris, tanto mihi similiores eris: quanto te mihi impresseris fortiùs, tantò ego Christus formabor in te expressiùs, & tanto tu in me reformaberis, transformaberisque insigniùs. Ita ille: Sit ergo cor alieno amori clausum, Sponsi unius dilectione signatum: ut quemadmodum ille semper de commodis tuis cogitat, omne bonum tibi desiderat amat; faver, gaudet, sic tu vicissim omne bonum laudem, gloriam,

riam, honorem, cultum eidem velis. Amor enim est unio amantis cum amato, ait S. Dionysius, unio voluntatis, unio affectus. Vel, ut inquit Lessius, amor est occupatio amantis cum amato. Ut quantum possibile est, mens & cor à creatis abstrahatur & circa dilectum occupetur. Afluiscant huic affectui PP. TT. occupando se frequentissimè cum Deo per aspirationes & preces jaculatorias: Jam cum S. Augustino suspirando: Amo te Deus meus, & magis atq; magis amare te desidero. Vel: serò te amavi pulchritudo tam antiqua! pulchritudo tam nova serò te amavi! Jam cum D. Bernardo: desidero te millies, mi Jesu quando venies? Jam cum Davide: Lauda anima mea Dominum &c. Jam cum S. Ignatio petendo: Amorem tui solum cum gratia tua mihi dona, & dives sum satis. Vel deniq; gaudendo, complacendo, optando, admirando, intentionem renovando, uniendo &c. Hoc enim est beatitudinem inchoare in valle lacrymarum, & ritu Angelorum vivere.

*Affectus IV. Desiderium lingua ignea, seu loquela amorosa cum Deo & cum proximo.*

ximo. Amor claudinefcit, fi in corde fit, mox fe prodit: Ex abundantia cordis os loquitur. Matth. 12. Hoc quisque ructat quod bibit. Vis fcire num Deum diligas? loquere, & videbis. Loquere, & mox num fit vox Esau, an vox Jacob, patebit. Sonus campanę materiam, qua conftat, manifeftat. Horologii index internam conftitutionem prodit. Sic lingua cor patefacit. De amatis dulce loqui. Navita de ventis, ftudiosus de literis, mercator de mercimoniis, mechanicus de artificiis, repentē & sine tadio fermocinatur. Pari ratione, fi cor cęlo fit immerfum, & Dei amore fauciatum, lingua non nifi cęlum, & dilectum loquitur. De hoc cogitare audire, fermocinari voluptas maxima.

Et hic ardor divinus PP. TT. fufcitan-  
 dus in ſchola affectuum. Si loquendum  
 cum Deo in oratione, lingua ardeat in pſal-  
 mis, hymnis, precibus, meditationibus af-  
 feftibus, colloquiis. Si loquendum cum  
 proximo privatim, lingua ardeat amore  
 divino, & loquatur de regno Dei, de re-  
 gno gratiæ, gloriæ, amoris, perfectionis.  
 Si loquendum in concione cum populo  
 lin-

lingua fit ardens non in ſublimibus huma-  
 nę ſapientiæ verbis, ſed in oſtentione ſpi-  
 ritus & virtutis. Verum unde hic linguę  
 ignis & ardor fufcitabitur? Ardeat cor, &  
 mox lingua quoq; ignea erit. At unde cor-  
 dis ardor? In meditatione exardescet ignis.  
 Itaq; in meditatione, in oratione, lectione,  
 colloquio ſpiritali, in ſacrificio, examine  
 ſuſpiriis anagogicis, ignis ille ſuccenditur:  
 ut vox velut ſacula ardeat. Sic fiet quod  
 optabat P. Balthaſar Alvarez, ut ii, quibus-  
 cum loquimur, diſcedant à nobis percu-  
 tientes pectora & dicentes: verè Filii Dei  
 ſunt iſti, habentes ſpiritum cęleſtem.

*Affectus V. Amor effectivus, ſeu actuo-  
 ſus. De quo Sponſus ad ſponſam: Pone  
 me ut ſignaculum ſuper brachium tuum,  
 Cant 8. Non ſiſtendum in affectibus, non  
 in verbis, ad opus procedendum eſt. Lu-  
 cerna ardentes in manibus veſtris. Lucę  
 12. & S. Gregorius ait: Probatio dili-  
 ctionis exhibitio eſt operis. Tunc verè dili-  
 gis (ait S. Bernardus de modo bene viv.) Si  
 pro amore eius, bona, qua potes, operaris & ſi  
 verè Deum diligis, nullà horã otioſus eris;  
 ſed in omnibus magnis & parvis, facilibus  
 &*

*arduis, promptè, hilariter, constanter pro nominis eius gloria labores aggredi desiderabis.* Amans ergo 1. Applicat manum operi, mandata ejus servando: *Si quis diligit me sermonem meum servabit.* Joan. 14. Imò & consilia, in quibus resplendet voluntas Dei perfectè & beneplacens. 2. Amans applicat manum operi, omnia opera etiam minima perfectè obeundo secundū illud Eccli. 23. *In omnibus operibus tuis praeclens esto.* 3. Amans applicat manum operi, ut agat & patiat magna pro Dilecto. S. Gregor. hom. 50. in Evang. *Nunquam, ait, est amor Dei otiosus, operatur magna si est: Si verò operari renuit, amor non est.* Et S. Thomas opusc. 61. *Amor operatur magna & reputat parva, operatur multa, & reputat pauca, operatur diu & reputat breve.* Idque exemplo sponsi, tanta amore sponsæ facientis & patientis, quin & morientis. Conentur itaq; PP. TT. diligere, non tantum corde, ore & lingua, sed opere & veritate, manum applicando operibus charitatis, præcepta, consilia & regulas exactè servando, opera quotidiana accuratè obeundo, magna & multa pro Dei

Dei honore & amore faciendo & patiendo: hac ratione sponsus ut signaculum obsignabit brachium eorum; & ipsi in eum per amoris similitudinem transformabuntur.

*Affectus VI. Desiderium & amor omnimodæ perfectionis.* Qui tanquam finis PP. TT. proponitur, scilicet, *ut fiat homo perfectus.* In quo tamen dantur gradus: nam

I. Perfectus erit, quisquis præcedentia consecutus fuerit, nimirum ut 1. Peccata, vitia, passiones, habitus prævios debellaverit. 2. Virtutes prædictas obtinuerit. 3. Cogitatione & amore Dei eximio flagrârit.

II. Perfectus erit, quisquis in seprehenderit, quæ sequuntur. 1. Rarissimus in peccata venialia lapsus. 2. Horror peccatorum maximus. 3. Minimas imperfectiones vitandi magnus conatus. 4. Fervor in ordinariis actionibus diligentissimè peragendis perpetuus. 5. Exacta patientia in adversitatibus, carens etiam primis motibus. 6. Assidua & ingens fames, sitis studium proficiendi in virtutibus. 7. Oratio carens distractionibus. 8. Pax animi & tranquillitas in tribulationibus. 9. Paratissima

suma animi dispositio ad arbitrium Dei & Superiorum, sine exceptionibus. 10. Sensibilis dolor in gravibus Dei offensis. 11. Ardens amor Numinis 12. Zelus animarum infatigabilis.

III. Perfectus erit quisquis habuerit, ex mente D. Thomæ. 1. 2. q. 61. a. 5. virtutes purgatorias, ut vocat, transeuntium & in divinam similitudinem tendentium; ita scilicet 1. Ut Prudentia omnia mundana, divinarum contemplatione despiciat, omnemq; animæ cogitationem in divina sola dirigat. 2. Temperantia vero relinquat, in quantum natura patitur, quæ corporis usus requirit. 3. Fortitudinis est efficere, ut anima non terreatur propter excessum à corpore & accessum ad superna. 4. Iustitiæ verò est, ut tota anima consentiat ad huiusmodi propositi viam.

IV. Perfectior, erit; quisquis ex sententia D. Thomæ l. c. possederit virtutes jam assequentium Divinam similitudinem, quæ vocantur virtutes jam purgati animi. Ita scilicet ut 1. Prudentia sola divina intueatur. 2. Temperantia terrenas cupiditates nesciat. 3. Fortitudo passiones igno-

ignoret. 4. Iustitia cum divina mente perpetuo fœdere societur, eam scilicet imitando. Quas quidem virtutes dicimus esse Beatorum, vel aliquorum in hac vita perfectissimorum. Ita Doctor Angelicus.

V. Perfectissimus & Sanctus erit, his ornatus conditionibus & perfectionibus. *Ima* est vitæ puritas, ita ut non tantum à peccatis mortalibus liber sit verum etiam à venialibus deliberatis, & indeliberatis multis, gravibus, & periculosis. Ut enim scribit S. Dionysius Areop. de Div. nom. c. 12. Sanctitas est ab omni scelere libera, & omnino perfecta, & omni ex parte immaculata puritas. 2. Ad perfectam & eximiam sanctitatem requiritur, ut quis habeat virtutes infusas & acquisitas, omnes statui suo convenientes in valde excelso gradu. Ita S. Chrysostomus hom. 17. in ep. Hebr. ait: Sanctum non solum mundatio peccatorum facit, sed quædam eminentia & excellentia magna virtutum, præsentia Spiritus S. & bonorū operum opulentia. Hæc verò virtutum excellentia qualis esse debeat, ex vitis Sanctorum Francisci, Domini, Ignatii, Xaverii, Theresiæ, &c. colligitur.

gitur. 3. *Conditio ad sanctitatem necessaria est præsentia Spiritus Sancti, inhabitantis, vivificantis & præservantis animam, cum etiam Sancti, ut David, graviter cadant.* 4. *Conditio ad sanctitatem necessaria, ut virtutes eximæ non sint otiosæ, sed perpetuò fructus bonorum operum excellentium producant. Gratia ejus in me vacua non fuit, ait Apostolus I. Cor. 15.*

VI. Patres Tertiani prædictos perfectionis & sanctitatis actus partim mirentur, partim assequi conentur; & videant, quantis spatiis à vera perfectione & sanctitate distent, non ut animum despondeant sed ut ad alacrius decurrendam perfectionis semitam excitentur, & saltem ad hæc perfectæ virtutis signa totis viribus colliment. 1. Ut perfectè operari conentur, juxta lumen & dictamen rectæ rationis, Doctrinam S. Scripturæ, Ecclesiæ, Superiorum, Regularum, inspirationum. 2. In omnibus occasionibus bene operandi, conentur eligere, quod perfectius est. 3. Inter æquè perfectæ eligere studeant id, à quo magis abhorret amor proprius, & quod Christo Crucifixo est conformius.

4. *Conentur adversa omnia non tantum tolerare patienter, verum etiam libenter, cum exultatione saltem partis superioris.* 5. *Excitent in se ingens desiderium quàm plurima bona faciendi, & quàm plurima mala patiendi pro Deo.* 6. *Allaborent exterius vivere irreprehensibiliter.* 7. *Contendant perpetuò in virtutibus proficere.* 8. *Et omne temporis particulas in rebus meritoriis traducere.* 9. *omnia purissimâ intentione peragere absq; desiderio præmii & in hac & in altera vita.* 10. *In omnibus prosperis & adversis voluntatem suam cum divina conformare.*

## CAPUT V.

*De conversatione cum proximis ad quam PP. in tertio anno disponendi.*

**I**nstrumenta idonea ad animas Christi lucrifaciendas, exerunt vires suas 1. in conversatione. 2. In missione. 3. In excipienda confessione. 4. In concione. Hic agendum primò de conversatione, postea de requis.

§. I.

*De fine & intentione conversationis.*

**C**onversatio Apostolica cum proximiis non est instituenda ad tempus fallendum, multò minùs ad recreatiunculam quandam, humanùmve favorem apud Primates captandum; sed finis illius est, ut S. P. N. toties in Constitutionibus inculcat: pura intentio divini obsequii, majoris gloriæ divinæ & salutis animarum. Hæc enim intentio, ut idem docet 10. p. Const. §. 2. Est unū è mediis, quod hominem cum Deo conjungit tanquam instrumentum, ut à divina manu gubernetur, & assequatur finem auxilii animarum. Ejusmodi pura intentio illustres parit in cœlo coronas; & respectus personarum excludit, pauperum æquè, imò magis, quàm divitum obsequiis intenta; atq; ita implet illud S. Hieronymi dictum ep. 14. ad Celant. 1. *Nescit religio nostra personas accipere, nec conditiones hominum, sed animos inspicere singulorū.*

§. II.

*Qualis esse debeat conversatio.*

I. **C**onversatio sit innocua, & ad animas Deo lucrandas unicè directæ. II.

II. Sit prudens, ut unicusq; statui sermonem prudenter attemperet, nec etiam de rebus sacris ad nauseam tractet; sed ut suadebat S. Ignatius, sermonis initia alijs concedat, sibi reservet extrema, R. P. Fridericus Spe, in discessu pium & præmeditatum cordi insigebat aculeum, si aliàs occasio negaretur.

III. Sit amabilis & grata, quæ animas sibi devinciat, atq; ad fructum spiritualem disponat. Simul tamen seria & gravitate religiosa non careat. Mirè in hac excelluit Indiarum Apostolus S. Franc. Xaverius.

IV. Sit angelica, ut volebat S. Ignatius Angelos Cultodes imitans, qui, 1. Hominibus invigilantes nihil de fervore charitatis & visione beatifica deperdunt. 2. Alterius Angeli officio se non ingerunt. 3. Libentius juvant magis opis indigos. 4. Omnes homines ad cœlum perducere zelo se cupiunt. 5. Eadem alacritate per scalam Jacob ascendunt atque descendunt, ad Deum laudandum, & ad homines juvandos. 6. Quocūq; eventu, fructuosâ & in fructuosâ custodiâ imperturbabiles. 7. Denique clientes usq; ad mortem non deserunt.

Quales esse debeat conversatio.  
tentes. Hæc imitetur Operarius Apo-  
stolicus.

V. Sit patiens & fortis, impedimenta  
zelum retardantia generosè vincens, Eju-  
modi impedimenta sunt. 1. Nimius amor  
quietis, solitudinis, orationis. Cogitat sibi  
dici: *Petre amas me, pasce oves meas.* Joan.  
21.2. Horror difficultatis, & laboris. Cogi-  
tet gustum Dei & magnitudinem præmii;  
*Unusquisq; propriam, mercedem accipiet  
secundum suum laborem, Dei enim adjuto-  
res sumus.* 1. Cor. 3. 3. Diffidentia. *Deus  
operatur velle & perficere.* ad Phil. 2. *Omnia  
possum in eo, qui me confortat.* ad Phil. 4.  
4. Metus morbi & mortis periculi corpo-  
ralis & spiritualis. Expendat dictum  
Christi: *Bonus Pastor animam suam dat  
pro ovibus suis.* Joan. 10. Novit te Deus  
protegere in periculis, ut Abraham in  
Chaldæa, Lothum in Sodoma. 5. Laboris  
sterilitas. Reddet Deus mercedem secun-  
dum laborem, non secundum proventum.  
*Planta, inquit S. Bernardus ad Eugenium,  
riga, fer curam & tuas explevisti partes, sa-  
ne incrementum, ubi voluerit, dabit Deus, ubi  
forte noluerit; tibi deperibit nihil.*

*Praxis Conversationis.*

I. **E**Xiturus à Christo Domino Eucha-  
ristico auxilium roga; & gratiam  
copiosam, absq; animæ propriæ detrimen-  
to, magnum fructum referendi flagita.

II. Si amore DEI & animarum zelo  
æstuaveris: nunquam deerit discursus mes-  
sis & materia: nam ex abundantia cordis  
os loquetur; & cujusque, cum quo agis,  
spiritualis necessitas opportunitatem da-  
bit utilia proferendi, instruendi, consolan-  
di, corrigendi, animandi &c.

III. Eum in finem, domo exiturus, præ-  
fertim, si artem conversandi nondum pro-  
bè calles, require à te, causam exeundi;  
& quid boni in proximo efficere cogites.  
Præmeditare etiam, quâ viâ & ratione, ad  
hoc, quod intendis inculcare, discursum  
dextre dirigere & deflectere valeas.

IV Si instructurus sis parentes, Juve-  
nes, pueros singulis apta Documenta sug-  
geres: parentibus quidem de mutua cha-  
ritate, pace, patientia, domesticorum cura,  
a motione scandalorum &c. Pueris verò

de mysteriis fidei, timore Dei, parentum honore, fuga pravæ Societatis &c.

V. Si consolaturus sis pauperes & affligtos vel ob damna temporalia, vel ob mortem charorum, pro consolatione propones. 1. Nihil sine Dei voluntate evenire, omnia à Deo Patre optimo in bonum nostrum ordinari. 2. Deum daturum robur, nec passurum nos tentari aut affligi, supra vires. 3. Exemplum Christi patientis & Sanctorum, v. g. Jobi, Tobiz, Apostolorum, Martyrum. Hæc magnam vim habent. 4. Præmium æternum pro momentanea tribulatione. 5. Omnia leviora esse pœnis inferni & purgatorii toties promeritis.

VI. Si exas curatum morbos spirituales, vitia, peccata, passiones, necesse est  
1. Ut more medicorum morbum ab infirmo se aperiente cognoscas. 2. More S. Ignatii hostem propriis armis jugules, technis & fraudibus in ipsum conversis.  
3. Ipsam morborum spiritualium radicem evellere studeas. 4. Instar medici morbum è pluribus infestorem aggrediaris primò, deinde minùs infestos, sed paulatim, ob-

fer-

servando tempus opportunum; & nisi necessitas urgeat suaviora potiùs, quàm acerbissima medicamenta adhibendo. Cujusmodi sunt oratio fervens, utrùmque examen, lectio librorum piorum, de virtutibus, vitiis, novissimis &c. Fiducia in Deum, Passionem Christi, B. V. crebrior usus Sacramentorum. Abstinencia à peccato primò per unum diem, deinde per duos, deinde plures ad honorem SS. Triados, B. V. propositio pœnarum peccatis debitaram, exemplorum &c. Tandem si suavia minùs proficiunt, adhibeantur acerbissima, jejunia, cilicia, flagella &c.

VII. Visitaturus captivos excita te, cogitando id præstari Christo, dicenti: *In carcere eram & visitastis me.* Matth. 25. Deinde incarceratos. 1. Peramanter saluta, & benevolentiam ac compassionem ostende. 2. Hortare, ut agnoscant providentiam divinam circa se, eiq; se submittant. 3. Labora ut sint in statu gratiæ, ad meritum è carceris squalore referendum. 4. Cura ut captivus semper sit occupatus, ne diaboli tentationibus irretiat; proinde vel laboret, si potest, vel libros spirituales

legat v. g. Drexelii Heliotropium, de passione Domini, de tormentis Martyrum, de Novissimis; vel oret rosarium, varia officiola, litanias, psalmos, vel piis etiam cantibus se soletur & erigat. 4. Muniatur contra tentationes molestas, exemplo SS. Martyrum & Christi Domini, recordatione sceleris infernalis, infamie Christi, orantis pro inimicis & morientis. 5. Frequenter visitetur ante & post latam sententiam, muniatur SS. Pœnitentiæ & Eucharistiæ Sacramentis, etiam exomologesi de tota vita, ut moriatur securius: lucretur indulgentias, verbis exquisitis confortetur ad ultimam luctam, omnibus, etiam accensatoribus ignoscat, actus fidei, spei, charitatis, resignationis eliciat Crucifixo osculum amorosè pangat, pectori crebrò apprimat, orare, & pios affectus ac suspiria elicere in itu ad supplicium non desinat, oculos in Crucifixum, non in circumstantes, assiduè defigat; in loco supplicii postremò absolvatur; & inter ingeminationem sacrorum nominum gladii ictum, glandem aut laqueum suscipiat. 6. Post mortem à circumstantibus preces petantur pro defuncto,

cto, flexis genibus peragenda. Pro successu felici gratiæ Deo agantur, & Cognatis pro solatio mors pia & Christiana recensatur, precè que ab iisdem quoque pro defuncti refrigerio postulentur.

VIII. Visitaturus infirmos, cogita te Christum Dominum invisere, dicentem: *infirmus eram & visitastis me.* Matth. 25. Ex visitatione hac sæpe dependet æterna salus, & ex ejus neglectu damnatio sempiterna, quare libenter ac diligenter visita, & sequentia observa. 1. In promptu habe dicta & exempla Sanctorum, qualia sacre literæ assatim suppeditabunt, quibus ager recreetur & excitetur. 2. Ad manum sit liber spiritualis, ex quo subinde aliquid prælegas, aut qui prælegendus legendusve relinquatur infirmo: Adsit quoq; libellus precum & affectuum, ex quo preces & documenta depromantur. 3. Adsit effigies Crucifixi, numisma indulgentiarum, reliquiæ Sanctorum, quæ subinde venerandæ vel osculandæ porrigantur. Aqua benedicta, quâ aspergatur. Sanitatis etiam propriæ curam gere, ne jejunos facilè accedas, aut saltem antidotis te munias, nec

ori decumbentis nimum appropinques,  
 aut halitum malignū haurias, potius ad ca-  
 put quam ad pedes infirmi stes aut confi-  
 deas, ne tibi halitum infectum insufflet,  
 verbō, curā moderatā & ordinatā tuam sa-  
 nitatem, quę Societati magni stetit, con-  
 serves, ut pluribus ad Dei gloriam profis.  
 Hujus enim incuria, præclarissima nobis  
 subjecta ante tempus sustulit. 5. Regulam  
 de Socio diligentissimè observes, præfer-  
 tim apud feminas infirmas. 6. Domum  
 ægroti ingressus, aut in via more R.P. Pe-  
 tri Fabri Angelum Custodem infirmi, ac  
 B. V. roga, pro fructu visitationis refe-  
 rendo. Deinde infirmum & astantes hu-  
 maniter saluta, aquā lustrali ægrum asper-  
 ge, nonnulla de morbo interroga, com-  
 passionem ostende, loquentem patienter  
 audi, solare, ac instrue ut officio suo satis-  
 faciat: Erga Deum per reconciliationem,  
 resignationem, fiduciam: erga medicum  
 & infirmarium per obedientiam: erga vi-  
 sitantes per ædificationem: erga seipsum  
 per patientiam &c. 7. Si pauper sit, elec-  
 mosynam procura; jusculum vel olusculum  
 vel domi nonnunquam, vel ab externis di-  
 tiori-

tioribus & benevolentioribus, cum venia  
 Superiorum pete, atq; ipse sub pallio de-  
 fer, exemplo plurium etiam in hac Pro-  
 vincia nostra virorum insignium, qui hac  
 charitate & humilitate, magnum sibi apud  
 Deum meritum, magnum apud cives æ  
 milites amorem & æstimationem sui &  
 Societatis pepererunt. 8. Ne otiosis & me-  
 lancholicis cogitationibus infirmus occu-  
 petur; subinde suaviter recreetur & oc-  
 cupetur cogitationibus de passione Do-  
 mini, de cœlesti gloria, de ingenti præmio  
 patientiæ, variisque precibus, affectibus,  
 suspiriis, lectionibus, alloquiis. In abitu su-  
 per infirmum ora; recitant nonnulli ora-  
 tionem: *Visita quasumus Domine habita-  
 tionem istam.* Deinde benedictionem sa-  
 cerdotalem impertire, & aqua lustrali  
 asperge. 9. Notato, vel à medicis intelle-  
 cto mortis periculo, extremis Sacramen-  
 tis æger muniatur, atq; ad ea disponatur:  
 & omnino monendus infirmus de pericu-  
 lo, qui hoc non præstant parentibus &  
 amicis, *sub prætextu pietatis crudeles sunt,*  
 ait P. Vincentius Carrafa, in Itinerario:  
 præstat enim, ægrum paulò citiùs mori ob-

aliquam turbationem & salvari, quàm tardius mori & damnari. Monendus autem est, dum adhuc mentis compos est, ut ad felicem obitum se disponere possit, non autem expectandum ad privationem rationis. Monitio autē hæc facienda resolutè non faciendo spem convalescentiæ, ægri enim & Rei, quando affulget spes, toti ad eam convertuntur; potest autem monitio fieri per conscientię arbitriū, aut bonū amicum. 10. Infirmus accepto mortis nuntio recurat mox ad Deum: *Pater venit hora, clarifica filium tuum, ut filius tuus clarificet te.* Deinde corde prompto acceptet: *paratum cor meum Deus.* Et post hæc mittat nuntium cunctis negotiis mundi, & clauso ostio cordis & etiam cubiculi solūm invigilet negotiis animæ, nullum deinceps locum dando visitationibus, neque amicis, neq; permittendo, ut adsit uxor, liberi, & similes, qui eo tempore reddere possunt inquietum, & ab unione cum Deo abstrahere. 11. Acceptis Sacramentis si circumstantiæ patienti valedicere poterit suis, ægendo gratias pro beneficiis, petendo veniam pro offensis, proles conjugii com-

men-

mendando, uti Christus Joannem Matri: easdem ad timorem Dei, obedientiam Ecclesiæ, honorem matris, concordiam mutuam, & curam salutis hortando, animam suam eorum precibus commendando, benedictionem eis dando, ac deniq; omnibus valedicendo. 12. Lucretur infirmus indulgentias vel habentibus numisma, vel sodalibus diversis sacra nomina pronuntiantibus concessas. Ostendatur Crucifixus tanquam clypeus contra hostes & impatientiam. Tradatur in manus cereus benedictus, quo æger protestetur se mori velle in fide Catholica, & sperare lumen æternum, per merita Christi, qui est lux vera. Denique ostendat se esse paratum, & instar virginis prudentis lampade ardente instructum ad cœlesti Sponso occurrendum. 13. Inchoante agone recitetur: *Proficiscere anima Christiana;* aliæq; preces, donec infirmus expiret. Post mortem mox oretur pro defuncto; Cognati aut liberi solatio animentur; revoceturq; illis in memoriam mundi vanitas, vitæ brevitatis, bene morientium felicitatis. Deniq; preces & sacrificia promitti possunt & cognati

I 5 ad

ad orationes & eleemosynas pro defuncto faciendas excitari. Pro his aliisque melius peragendis iuverit confecisse & in Libellum retulisse praxes, affectus, orationes, exempla, motiva patientię &c. aut uti licebit Libris impressis, P. Nakateni, Vogleri, & aliorum.

### CAPUT VI.

*De virtutibus ad fructuosę conversionem requisitis, & omnibus Missionariis, Confessariis & Concionatoribus necessariis, in tertio anno addiscendis.*

#### §. I.

*De zelo animarum.*

**Z**elus non est qualecunque desiderium, sed est effectus vehementis amoris, ut ait S. Chrysostomus, generatur enim ab amoris fervore, eoque movetur contra omne id, quod repugnat bono amici, illudque pro viribus repellit.

*Motivum I.* Quo flaccescentem zelum quandoq; excites, est consideratio æternorum. Ac 1. gloria Dei maxima & gaudium æternum ex conversione animarum Deo,

San-

Sanctis, & Angelis nascens: Unica enim anima in cælo per totam æternitatem, plus glorię confert Deo, quàm omnes homines simul præcisę in hac vita: illa enim infinita seu æterna est, hæc finita. 2. Taceo æternas blasphemias & maledicta infinita, quæ aliàs anima illa in perennibus inferni tormentis in Deum evomitura fuisset.

*Motivum II.* Est pretiosissimus Christi sanguis pro qualibet anima copiosę profusus.

*Motivum III.* Pulchritudo animæ, de qua dicere solita S. Catharina Senensis, si quis eam videret, centies pro ea, si posset, in die mortem oppeteret. E contra animæ gratiã destitutæ deformitas.

*Motivum IV.* Quanta in te redundabit, ex conversione animarum, in cælo totã æternitate, lætitiã, gloriã, exultatiõem? Quas illæ gratias agent Deo, & tibi velut Dei instrumento? Hæc & alia motiva allegat, S. Carolomus Borromæus nostrę Societatis spiritu plenissimus p. 5. Actõrum Ecclesię Mediol. L. 3. c. 2. ubi addit.

*Motivum V.* Considerent terribilem animarum stragem, quam generis humani ho-

hostis Sathanas facit, quantam illis perden-  
dis sollicitudinem adhibeat: & turpissi-  
mum iudicent Ministri Christi, se à Satha-  
na, ejusq; ministris diligentia vinci.

*Motivum VI.* Quantum laborarunt  
pro animabus Deo lucrands SS. Apосто-  
li, Martyres, Episcopi, Sacerdotes & in  
primis è Societate nostra S. Xaverius,  
Barzæus, Personius, Campianus, Canisius  
&c. aliique innumeri? Dei adjutores su-  
mus. Omnium divinorum divinissimum  
est cooperari in salutem animarum ait S.  
Dionysius c. 3. cœl. Hierarch. Et nullum  
omnipotenti Deo tale est sacrificium, qua-  
le est zelus animarum, inquit S. Grego-  
rius M. hom. 12. in c. 4. Ezech. S. Brigit-  
tæ L. 1. Rev. c. 1. & 30. dixit Dominus:  
*Adhuc libenter ex charitate iterum more-  
rer pro homine, si esset possibile.* Et L. 7. c.  
19. Si esset possibile, ut toties morerer,  
quot sunt animæ in inferno, adhuc corpus  
meum paratum esset subire hæc omnia  
cum libenti voluntate, & perfectissima  
charitate.

## S. II.

*De oratione necessaria Missionariis &  
operariis Apostolicis.*

**I**Donea instrumenta ad animas Christo  
lucrificandas potissimum nostri opera-  
rii evadunt, meditatione, oratione & fa-  
miliaritate cum Deo, ex mente S. P. N.  
hinc Apostoli, ante prædicationem sede-  
runt in civitate, donec induerentur virtute  
ex alto & Actorum 6. Nos, ajunt Apосто-  
li, orationi & ministerio verbi instantes  
erimus; ubi notandum quòd prius memi-  
nerint orationis, quàm prædicationis. Itaq;

I. Patres nostri missionarii, accuratissi-  
mè horam meditationis matutinam debi-  
to tempore impleant & examina peragant  
ut præscribit P. Claud. Instr. 18. pro Mis-  
sion. n. 2. si verò contingat, totos dies  
exomologesibus, & concionibus transigi;  
affectibus suspiriisq; compensare nitantur,  
pro quibus amantem nunquam tempus  
deficit.

II. In itinere, meditatione & oratione  
se inflamment, pro felici animarum pifca-  
tione. Sic faciebant primi nostri Patres,

teste Orlandino L. 1. Hist. n. 110. & Ribadeneira L. 3. c. 5. Et in Reg. Peregrinorum præscribitur, ut studeant frequentiori oratione comitem itineris sibi Christum facere. In omnibus viis tuiscogita illum, & ipse dirigit gressus tuos. Proverb 3.

III. In hospitiiis, diverforiis, aut apud bonos amicos, ad quos diverterint, tum exemplo vitæ, tum colloquio, tum oratione piâ ædificent; horas suas canonicas devotè recitent, ad exemplum, non pietatis ostentationem. P. Paschasius Broët unus è decem Patribus primis, teste Sacchino p. 2. Hist. Soc. L. 6. n. 96. tanto ardore in hospitio horas persolvebat, ut ipse vultus ardere & caput fumare videretur.

IV. Invocato priùs Angelo Tutelari loci, & Patroni, tum Angelorum loci incolarū, templum adeant, & animas sibi commissas, suâq; omnia Deo commendent, more R. P. Petri Fabri S. Ignatii Socii charissimi, & per intercessionem Patronorum loci & SS. Angelorum Custodum gratiam fructificandi postulent. Oratio mirè fructum animarum promovet. Nunc, ait S. Bernardus epist. 201. Manent tria, verbum, exem-

exemplum, oratio; major autem horū oratio; ea namq; operi & voci gratiam & efficaciam promeretur. Hinc S. Franciscus Xaverius, per diem impeditus, noctu preces fundebat coram S. Sacramento, pro animarū conversione. S. Theresia noctes integras consumebat orando & flendo pro conversione animarum, præsertim hæresi infectarum, & dedisset mille vitas, si posset vel unam tantum convertere. Jepsius in vita L. 3. c. 25.

### S. III.

#### *De temperantia PP. Missionariorum & aliorum Operariorum.*

I. **A**Nte omnia Viri Apostolici, gulam edomitam habeant necesse est, ob varias occasiones excessus, ob scandala vitanda & ad exemplum aliorum; tum ne in quantitate cibi potûsque temperantiæ limites excedant, tum ne in qualitate peccent singularia sectantes; sed ut communibus cibis contenti, delicias non solum non quarant, sed tanquam volucrum, ferarumque cadavera aspernentur. Tunc (ut ante annos aliquot Colonia mihi retu-

lie Pater quidam Missionarius Vicinæ Provincie, tantum non opinione sanctitatis celebris, cujus adhuc viventis nomini parco) sumus apud externos Domini cordiū, aperiuntque se nobis & admirantur.

II. In prandio igitur & cœna juxta Reg. 9. Peregrinorum sobrietatis & modestiæ ratio habenda: Sæculares enim, ut monet S. Basilius, criminantur quandoq; , etiam si necessario cibo Religiosi utantur. Hinc S. Dominicus pedes iter faciens, nec ulli cappam portandam dare volens, antequam civitatem intraret, aquæ potu sitim exstinguebat, ne si à sæcularibus in diversoriis cerneretur copiosius aquam bibere, scandalizarentur. Ut refert Ferdinandus de Castillo.

III. In mensa decorum servant, & modestiam singularem; quæ valde ædificat, cum sobrietate præsertim conjuncta: utriusque præclarum exemplum præbuit S. P. N. Ignatius, (teste oculato P. Ludovico Consalvo Domûs Professæ Romanæ Ministro, p. 9. Diarii, in quo ad instantiam Regis Lusitanie, dicta factaq; S. P. N. indies adnotabat) in eo enim refert Sanctum

etum Ignatium traxisse ad Societatem nostram primarios Patres, Natalem, Madridum, aliósque multos, sine aliis persuasionibus, tantum eo modo, quem tenebat ad mensam in comedendo & loquendo.

IV. Si quando invitentur ad convivia, quæ declinare non possunt (Si eis à Superiore non sint prohibita, sed concessa) & in illis quoq; fructum colligere & animas lucrari ne negligent, tam sobrietate & modestia, quam data captatæ occasione divinis Colloquiis. Ipse S. Fundator noster interdum invitatus, minimè recusabat, ut pro epulis carnalibus, spirituales rependeret, ut refert Massæus L. 1. c. 8. S. Franciscus Xaverius, apud externos pransus, Concubinas ab eis suaviter expulit. Sint igitur convivia occasiones convertendarum animarum, peccatorum & Hæreticorum. Ideo enim P. Laynez alter Societatis nostræ Generalis Anno 1560. Patrem Bustamantium in Hispania Provincialemp reprehendit, quod prohibuisset nostris convivia cum aliis, præterquam Episcopis & Religiosis; addiditq; hoc esse in Societate novum, ex quo multæ occasiones divini servitii perire possent.

V. Adeant ergò mensas PP. Missionarii, juxta Superiorum ordinationem, quas sine notavel offensa declinare nequeunt, sed semper sobrietatis, ut dictum, memores ut fructum spiritualem referant; & ad validius contra hostes stygios & peccata pugnandum magis idonei & robustiores reddantur. Aliquot ab hinc annis Pater diu in missionibus cū laude versatus, ut ex ore ejus accepi, à Domino quodam Ecclesiastico in templi Dedicatōne ad convivium invitatus, sequenti die ad obsessum horæ spatio inde distantem exorcismi gratiā se contulit; verum is ludibundus & tripudians cum Patre ad solitum exorcismi locum concessit, cum hoc epiphonemate: hodie actum ages, frustra es, nihil omnino efficies: causam rogatus, reposuit: Heri fuisti in convivio, ubi vitra strenuè mensam obambulabant. Abi, & prius lavare (scilicet fonte pœnitentię) ac tunc demum revertere.

VI. Si PP. Missionarii mensam separatam habeant, externos ad mensam nunquam invitent, ut ordinavit P. Cladius in Ordinat. Generalium num. 18. Fortè ne  
come,

comedendo cum hospitibus plus temporis consumant, & humaniter tractando, excessus occasionem præbeant. Cùm quidam, etiam in missionibus versatus, Nobiles quosdam ad prandium invitasset, cōsueque ad bibendum largiùs invitando, temperantię leges transilisset, noctu proximè insequente, ei in somno species objecta est R. P. Joannis Panhauser, viri admodum sobrietati dediti, & Anno 1666. finito rectoratu in Novitiatu Trevirensi defuncti, qui eum torvis oculis respiciens perterritus, & verbis hisce acriter perstrinxit: *sic sequeris instructionem meam?* scilicet in Tyrociniò tibi traditam.

VII. Maxima itaque hîc cautela adhibenda est. Medicos, ac Missionarios animarumq; curatores semper reperiri oportet sobrios, cum omni horâ ad ægros accessiri possint; illi ut corpora curent, hi ut animas ad iter æternitatis ineundum disponant, quorum neglectus sæpe admodum periculosus. Divina res est temperantia, tam animę quàm corpori commodissima atque utilissima, à SS. PP. tot encomiis deprædicata, quibus, brevitatis gratia, su-

206 *De bono exemplo PP. Missionariorum*  
superfedeo. Et tamen, ut ait S. Vincentius  
Ferrerijs Tract. de vita spiritali c. 8. Ad  
gulæ dominium pauci pertingunt, qui  
non excedant, vel plus vel minus edendo,  
vel debitas circumstantias non servando.  
Quis est Domine, exclamat S. Augusti-  
nus L. 10. Confess. c. 31. Qui non rapia-  
tur aliquantulum extra metas necessitatis?  
Quisquis est, magnus est, magnificet no-  
men tuum, ego autem non sum, quia ho-  
mo peccator sum.

§. IV.

*De bono exemplo à PP. Missionariis  
dando, varisq; eorum virtutibus.*

**S**. Indiarum Apostolus Xaverius, cen-  
sebat ad hoc apostolicum munus non  
esse deligendos nisi viros, egregiâ diuque  
spectatâ fide, virtute constantiâ & sancti-  
tate conspicuos: experienciâ enim didice-  
rat, eam provinciam gravissimis Sathanæ  
tentationibus, molestiis & ærumnis expo-  
sitam. Ac proinde ipse, ut refert Turfelli-  
nus L. 6. c. ult. Socios Ethnicis conver-  
tendis, Neophytisque erudiendis operam  
daturus, lectissimos & primarios præficie-  
bat:

207  
*varisq; eorum virtutibus.*  
bat; autoritatem sequens Apostolorum,  
qui cum recepisset Samaritæ verbum Dei,  
miserunt ad eos Petrum & Joannem Apo-  
stolorum Principes. In iis verò quos mit-  
tebat ad hoc munus prudentiam magis &  
sanctitatem. quàm doctrinam expetebat.

I. Itaq; viri hi Apostolici, in missioni-  
bus, omnibus, quibuscum agent, bono ex-  
emplo præluceant, ita facilius animas con-  
vertent. S. Chrysostr. hom. 15. in Matth.  
scribit: multò fidelior & certior est do-  
ctrina operum, quàm sermonum. Christus  
Dominus suos Missionarios instrueus ait  
Matth. 15. *Sic luceat lux vestra coram ho-  
minibus, ut videant opera vestra bona. Vos  
estis sal terra.* Si sal sumus, ait S. Grego-  
rius hom. 17. in Lucam, condire mentes  
fidelium debemus, ut quisquis Sacerdoti  
jungitur, quasi è salis tactu, æternæ vitæ sa-  
pore condiatur. Exempla plus movent, &  
meliùs docent, quàm verba. Non enim  
regnum Dei est in sermone, sed in virtute.

II. Dent exemplum humilitatis, non  
quærant speciosam aut honorificam oc-  
cupationem, & conversationem, sed po-  
tius minus speciosam, ac magis utilem:  
qua

208 De bono exemplo à PP. Missionariis dando  
qualis est, visitatio pauperum, instructio  
rudium, explicatio doctrinæ Christianæ, à  
S. Patre N. tantopere commendatæ, novis  
Rectoribus, Professis, Coadjutoribus:  
quam ipse quoq; post professionem 46.  
diebus tradidit, oculato teste Ribadeneira  
L. 3. c. 2. licet linguam Italicam non per-  
fectè calleret, & à Ribadeneira tunc ado-  
lescentulo corrigeretur in verbis Italicis  
perperam expressis, quod grato animo  
S. P. excipiebat, nec tamen à sancto hoc  
opere desisteat: sed multos ad lacrymas,  
& confessiones bonas excitabat. S. Xave-  
rius dans monita P. Gaspari Barzæo Ar-  
muziam ituro aliisque Patribus in Indias  
destinatis, voluit ut catechizandi munus  
ipsi obirent, non alteri committerent.

III. Dent exemplum paupertatis &  
contemptus opum, imò vel minimæ su-  
spicionis sinistra occasionem in hoc puncto  
declinent. Ordinationes Generalium præ-  
scribunt c. 1. n. 18. Pecuniam quoad fieri  
potest, non accipiant. S. Ignatius, apud  
Orlandinum L. 3. c. 43. P. Salmeroni  
cum Sociis in Hiberniam discessuro hoc  
monitum dedit: Quod ad rem numma-  
riam

variisq; eorum virtutibus. 209

riam attinet, nolebat eam ipsorum manu  
contingi; ne eam quidem, quam multæ  
nomine, tanquam Nuntii Apostolici, pro  
dispensationibus, impetrassent; sed pecu-  
niam omnem, quacunq; ratione collectam  
per alios potius pauperibus dividendam  
atq; tractandam: ut jurejurando affirmare  
possent, si usus esset, se ex ea muneris pro-  
curatione, ne assẽm quidem aut obolum  
attigisse. Ejusdem spiritus fuit S. Francis-  
cus Xaverius, qui pecuniam neq; restitu-  
tionis, neque elemosynæ nomine divi-  
dendam, Confessarios accipere volebat.  
Tursellinus L. 6. c. 17. Similiter S. Phi-  
lippus Neriis suis Confessariis, tanquam  
rem præcipuam commendabat; si vellent  
fructum facere in animabus, à crumenis  
aliorum abstinere, nec se in testamenta  
ingerere, etiam bonâ intentione, quip-  
pe præsentia suspicionum materiam; nec  
posse quem simul lucrari animas & res  
eorum. Experientia nimis est certa. Cùm  
Fulco Presbiter Parisiensis Diocesis con-  
cionando in Gallia & Germania conver-  
siones admirabiles fecisset, tunc cœpit  
perdere opinionem sanctitatis, cùm pecu-  
niam

210 De bono exemplo à PP. Missionariis dando  
niam accumulare cœpit, pauperibus cruce  
signatis erogandam, ut scribit Jacobus de  
Vitriaco in Hist. Occid. c. 5. Eadē de cau-  
sa munera non acceptent, nisi sint exigua,  
quorum repudiatio contemptū præferret,  
ut suadebat S. Xaverius: nam ut ait Pu-  
blius Syrus in sententiis: Beneficium acci-  
pere est libertatem vendere. Acceptio  
munerum est causa pervertendi iudicii, ut  
inquit S. Gregorius L. 4. c. 4. Maximè  
verò à feminis non sunt accipienda, ut pro-  
bat Nigronius in Reg. 9. commun. 17.

IV. PP. Missionarii dent exemplum  
patientiæ & mansuetudinis 1. In laboribus  
magnis, in concionibus, in confessionibus  
indefessè excipiendis: *In laboribus plurimis*  
ait Apostolus. 2. Cor. 11. 2. Patientia  
eluceat in rerum penuria, si ita occasio fe-  
rat, & in defectu commodè sustentationis,  
habitationis, aliisque adversis. *Scio abun-  
dare, & penuriam pati,* ait rursus Apосто-  
lus ad Philip. 4. Egregiè id præstitit Pro-  
vinciæ nostræ lumen R. P. Joes Zween-  
bruggen, primus in Civitate Bremensi  
sectæ suæ tenacissima missionarius; dum  
non solum habitatione angusta, pane arcto  
&

*varisq; eorum virtutibus.*

211

& casei fructo ordinariè contentus, sed &  
à scurris in platea lapidibus appetitus, &  
à Nautis è ponte in Visurgim præcipitan-  
dus, nisi Providentia divina ad Provinciæ  
regimen eum reservasset, perstitit tamen  
constans, successoribusque suis in mis-  
sione istâ feliciter glaciem fregit. 3. Pa-  
tientia quoque necessaria est nonnun-  
quam in tolerandis adversariis, in contra-  
dictionibus, in calumniis sive per Satha-  
nam, sive per homines malevolos, aut hæ-  
reticos excitatis; ut silentio & patientiæ  
clypeo eas reprimendo, ac Deo offerendo,  
non desistant, sed pergant in spirituali  
messe, quemadmodum perrexit S. Paulus  
1. Cor. 16. *Ostium mihi apertum est ma-  
gnum, & adversarii multi:* Si magnū, quo-  
modo adversarii? quærit S. Chrysosto-  
mus & respondet: Quod multi adeo relu-  
ctentur, indicium est Evangelicæ victoriæ,  
si enim fructus sit exiguus, adversarius  
nihil movetur. Expertus quoque est id P.  
Henricus Dünwaldt Theologiæ Doctor  
Anno 1664. Treviris in Collegio piè de-  
functus, vir in corpore parvo, doctrinâ &  
spiritu magnus, quem vel maximè demon-

stravit, quando, ut ex ore ejus accepi, sub Ferdinando Archiepiscopo Colonienſi & Monasterienſi Episcopo, Bucholdiæ cunctis A catholicis, nisi sectæ suæ abjurarent errores, indicta emigratio, bimestri solùm deliberatione indultâ; quâ occasione zelosus Pater animas facilè sexcentas ad Christi ovile feliciter reduxit; hæresi ringente, ac post ejus abitum malevolè spargente, virum zelosissimum, magiè reum, in rogo conflagraſſe. At ipse postmodum rediit, consensâ pro concione cathedrâ, impactam falsocalumniam cum Catholicorum plausu, & confusione A catholicorum, facilè etiam silendo, absterſit. 4. Imò & in persecutionibus, & cum Apostolo, in carceribus abundantius, patientiam animùmque generosum demonstrant; siquidem ita Providentia divina ordinârit. Nec desunt in Provincia nostra qui faciem prætulerint. Eminet inter cæteros P. Henricus Schachius, qui in Sueciam penetravit, utque latens Catholicos juvaret securiùs, artificem muscipularum simulavit, apud Zachariam Anthelium Consulem Upsaliæ divertit, & ibi cunas agitavit, geru-

gerulæque vices identidem subivit. Demùm à Regis musico, qui cùm esset apostata, Catholicum se simulabat, proditus, è lecto in tetrum carcerem abreptus, planè nudatus, frigore, pædore, catenis, ter equuleo acerbissimè cruciatus, jamq; gladii supplicio in fidei odium inferendo vicinus, tamen quia hospes non item civis erat, vivere permisus at Regno proscriptus est. Anthelio Consule & Gregorio Ursino Secretario in odium fidei securi percussis, Adolescente verò sub gladii ictu fidem negante, & tamen caeso. Quæ omnia per quietem, paucis antequam caperetur diebus, videbat P. Henricus, collocari scilicet duorum capita in altari, tertium verò caput projectum, volutari in terra, sibi verò dictum audierat à staturè proceræ viro; Tibi tanquam peregrino parco. Laboravit in hac Provincia annis 24. & in Missione Hamburgensi mortem obiit Anno 1654. 2. Jan. ætatis 71.

V. Dent exemplum charitatis inter se & dilectionis mutæ, præscribit id P. Claud. Instructione 13. pro Missionibus his verbis: omni studio enitantur, ut con-

*De bono exemplo PP. Missionariorum*  
 tinuam veramque inter se unionem habeant cum patiendi desiderio, quandoquidem hæc sunt necessaria fundamenta ad finem propositum consequendū & ad bonam ædificationem apud omnes conciliandam. Quanta miseria, cum duo Missionarii dissident, & loco solatii mutui aversionem, loco fiducia diffidentiam, loco unionis discordiam fovent. Studeant igitur, alter alterius onera portare, sese ac commodare, maximè Juniores Senioribus, diutiùs in missione versatis & experientiam majorem habentibus.

V. Dent vel maximè exemplum castitatis & integritatis, præsertim in conversatione cum sexu sequiore; & sequentia observent. 1. Non protrahant longos sermones sive ad portam, sive alibi, cum faminis, absque gravi causa, teste aut Socio, tum ne tempus minùs fructuosè perdant, tum ob varia alia incommoda. 2. Ita se, dum colloquuntur, collocent, ut non consistant è regione, sed ad latus, quo mutuuum aspectum commodiùs devitent. 3. Qui in Missionibus sunt, feminas ne visitent, nec eas ad se domum venire

nire sinant, quacunque de causa, sed in templo, si necesse sit, audiantur. Ita habet Ordinatio septimæ Congregationis auctoritate contracta. S. Fundator noster, teste Ribadencira L. 5. c. 11. Omnium mulierum familiaritatem, etiam quæ spirituales sunt, aut videri volunt, vitandam esse dicebat: sed earum maximè, quæ ætate, conditione, statu periculosiores sunt. Quarum ex consuetudine plerumq; aut fumus aut flamma sequitur. *De vestimentis procedit tinea, & à muliere, iniquitas viri.* Eccli. 42. v. 13. P. Balthasar Alvarez amorem spiritualem, agebat, transgredi solere limites, & optimum vinum converti in fortissimum acetum, ideòq; majore dicebat cautelâ opus esse cum feminis spiritualibus. c. 5. vitæ. S. Xaverius, ut refert Turfelinus, monebat P. Gasparem Vicarium suum, cum mulieribus ut non nisi luce, palâm, & in publico colloqueretur, & non nisi in gravi casu, v. g. morbo domi inviseret, confessionis gratiâ, & hoc marito præsentem; si verò Virginem, aut Viduam adiret, viri spectabiles comitarentur. 4. Non est tamen damnium spirituale timendum ex

hac conversatione, si adsit voluntas superiorum iubentium, si pura habeatur intentio, absq; omni humano solatiolo, & omnis animi levitas, libertas & nimia confidentia absit. Asserebat enim prædictus P. Balthasar, si ex obedientia fiat, mundissimas habiturum cogitationes, instar Angeli etiam apud leviculas; at si ex propria voluntate maneat in cubiculo, foedis urendum cogitationibus.

## §. V.

*Alia monita, pro Missionariis, Confessariis, & Operariis Societatis PP. T. T. inculcanda.*

I. **O**perarius Apostolicus & Missionarius ante omnia sit sibi ipsi & mundo mortuus; aliàs exiguum fructum spirituales referet. P. Balthasar Alvarez in Epist. ad Religiosum Ordinis S. Augustini scribit: *Ideo qui profitemur servire Christo, exiguum aut nullum fructum percipimus ex laboribus nostris, quia nec mundo, nec nobis ipsis mortui sumus. Mihi mundus crucifixus est, & ego mundo ait Apostolus ad Gal. 6. v. 14.*

II. Societatis operarius cum S. Paulo, *omnibus omnia fiat, ut omnes faciat salvos.* 1. Cor. 9. nam non uno modo agendum est cum omnibus. *Aliter*, ait S. Ambrosius, in c. 4. ad Col. *Cum potentibus mundi, aliter cum mediocribus, aliter cum humilibus agendum est.* Aliter iterum cum mansuetis, aliter cum iracundis, quibus cedere oportet. Excelluit in hoc S. Fundator noster, qui teste Maffæo L. 3. c. 11. miræ fuit solertiæ in sollicitandis mortalibus, & à servitute Diaboli ad Christi Domini obsequiū traducendis. Naturas eorum odorabatur, ambitionis splendida, avaris utilia, voluptuosis jucunda proponebat, ac suâ quemque escâ piscabatur. Eodem dono præditus fuit P. Jacobus Laynez, ut de eo recenset Ribadeneira L. 3. vitæ c. 16. Omnium ingenii se prudenter attemperabat, cum pietati deditis; de rebus sacris, cum eruditus Doctor colloquia miscere, cum milite de re militari; cum fabris de re fabrilis agere noverat: ut mox tandem de DEO sermo subjiceretur.

III. Sit affabilis & humanus. Difficile dictum est, quantopere animos hominum

conciliet comitas, affabilitasque sermonis, ait Cicero L. 2. offic. S. Bernardus L. 4. de Confid. describens quales Eugenius Papa pro missionibus apostolicis viros eligere debeat, ait, *oportere tales esse, qui se amabiles præbeant; non verbo sed opere reverendos.* Cavenda igitur in conversatione nimia gravitas; ut suadebat S. Franc. Xaverius apud Turfellinum L. 6. c. 13. ipseque observabat, salubres enim sermones ne satietatem afferrent magnâ solertiâ condire, mirâque varietate miscere consueverat. Ibidem c. 11. Quod & S. Ignatio in more positum fuisse Massæus testatur L. 3. c. 11.

IV. Sit industrius & in procuranda salute aliena vigilans. De P. Petro Fabro scribit Orlandinus L. 3. n. 29. Eum miræ fuisse solertiæ in animabus Deo lucrandis, nullas enim prætermittebat occasiones ferendæ pietatis, indagabat omnes vias omnibus consulendi; ita atroxit P. Petrum Canisium piis super mensam Colloquiis. Industria hæc Societatis operatio, sedulò imitanda, omnia consilia, opera, sermones eò dirigat, ut aliis inde spiritualis utilitas pro-

proveniat, & saltem semina pietatis in animis relinquat. More S. Antonii, de quo S. Athanasius in vita: Consolabatur mœstos, docebat inscios, concordabat iratos, omnibus suadebat, nihil amoris Christi esse anteponendum.

V. Societatis operatio magna ubique opus est consideratio & circumspèctio.

1. In agendo & loquendo ne sit præceps, neque ex impetu naturæ sermones & actiones procedant, sed omnia consideratè & circumspèctè, ad rectæ rationis amussim peragantur. Qui moderatur labia sua prudentissimus est. Proverb. 10. Quidquid agis prudenter agas, & respice finem.
2. Cautus sit in revelandis secretis suis, vel Societatis, quod S. Xaverius summè necessarium dicebat, etiam in arctissima familiaritate, asserens: *ita te geras ac si aliquando futuri essent inimici*, hoc enim te & licentiam omnem refrenabit. Turfellinus L. 6. c. 12. Rectè id ipsum monet Spiritus S. Proverb. 25. *Secretum extraneo ne reveles, ne fortè insultet tibi, & exprobrare non cesset.*
3. Nihil quoque de Principum moribus aut gestis referat, quod illis nollet indica-

dicatum. Ecclesiast. 10. ab eo Spiritus S. dehortatur: *In cogitatione tua Regi ne detrahas, & in secreto cubiculi tui ne maledixeris diviti, quia & aves cæli portabunt vocem tuam.*

VI. Dexteritatem acquirat, Missionarius in impediendis suaviter & ingeniosè aliò divertendis secularium discursibus, indecentibus, iracundis, vel detractionis; ne prætermittæ correptionis fraternæ rei evadant: hoc enim peccatum Patrem Jacobum Laynez secundum Societatis nostræ Generalem tanti fecisse scribit Sacchinus p. 2. Hist. Soc. L. 8. n. 125: Ut omissionem correptionis & impudicitiam, duo esse vitia diceret, ob quæ quamplurimi mortales æternùm perirent. De quodam amico suo narrat P. Lancicius, eum apud Principes & Episcopos sæpe cum fructu & gustu convivarū, aliquo inchoante detractionem, aut dicta iracunda solitum hilari vultu dicere: Illustrissime Domine, rogamus Illustrissimam Dominationem vestram, ut læti simus, lætiam enim in tam nobili confesso esse volumus, relinquamus istos melancholicos sermones. Et tunc propinane

pinando illi potum jucundè & suaviter, detractioni finem imponere, coëgisse.

VII. Cùm operarium in vinea Domini, mille circumdant pericula, attentus semper sit ad seipsum. *Recupera proximum secundum virtutem tuam, & at tende tibi, ne incidat* Eccli. 29. Ac proinde triplici potissimum medio se communiat. 1. Magnâ diligentiam Examen conscientie instituat; in quo veluti speculo maculas contractas aspiciat & expungat. 2. Ferventi oratione & profundâ rerum cælestium & æternarum meditatione se roboret, ne vel Dæmonis vel hominum malitiâ à via justitiæ & veritatis deflectat. Assuescat exercitio assiduæ presentie Dei, & precibus jaculatoriis, quibus se Deo conjungat, gratiam animas lucrifaciendi petat, & præcavendi, ne secularium conversatio spiritui suo obsit, & dum alios lucrari parat, seipsum perdat. 3. Si socium habeat, suadebat S. Patriarcha noster, ut si quis defectus notaretur, ab illo liberè & placidè, ex fraterna charitate moneretur, & vicissim idem præstaretur ab altero. Quod & Laynio & Salmèroni ad Concilium Tridentinum

tinum missis præcipit. Ejusmodi Monito-  
rem fidelem & sincerum ex Indiis petiit à  
S. Ignatio Roma sibi mittendum S. Xave-  
rius. L. 2. ep. 4. Sic S. Petrus à S. Paulo  
monitus ad Gal. 2. Et S. Paulus Philemone  
consiliario usus: *sine consilio autem tuo* (in-  
quit) *nihil volui facere* ad Philem. v. 14. Sic  
S. Laurentius Justinianus Madiū, S. Bonifa-  
cius Ecbertum, S. Damasus Hieronymum,  
S. Fulgentius quendam Abbatem, S. Phi-  
lippus Nerius nostrū P. Peruscum & post-  
ea C. Baronium, S. F. Borgias Fratrem  
Marcum admonitorem habuit. Imitentur  
Operarii & Missionarii nostri: nam in de-  
fectibus alienis Argi & Lynces, in propriis  
ordinariè talpæ sumus.

## CAPUT VI.

*Documentum pro Confessariis &  
Concionatoribus, PP. Tertianis  
observanda.*

## §. I.

*De Confessionibus audiendis.*

I. **O**perarii Apostolici libenter con-  
fessionibus excipiendis dent ope-  
ram, & in iis assidui sint, maximè rudium,  
pau-

pauperum & magnorum peccatorum. In-  
citamenta offert vita R. P. Ludovici de  
Ponte manuscripta. Nam 1. Sic officio sa-  
cerdotali à Deo sibi commisso & instituto  
Societatis satisfaciunt. 2. In hoc munere  
homo se vincit, multasque carnis repu-  
gnantias superat & minor applausus sequi-  
tur, quàm conciones, adeoque majores  
in cælo sperandæ coronæ. 3. Quia confes-  
sarius exercet varia simul misericordiæ ope-  
ra spiritualia, & spiritualiter corporalia:  
nam docet ignorantes, corrigit errantes,  
condonat injurias Deo illatas, tristes con-  
solatur, redimit captivos, & solvit è carcere  
in carceratos, nudos veste gratiæ contegit,  
cibum potumq; præbet esurientibus. At-  
que ita, hæc fideliter præstando, Confessa-  
rius bonus utique misericordiam inveniet.  
*Beati enim misericordes, quoniam ipsi mi-  
sericordiam consequentur.* Matth. 5. Neq;  
enim reperitur elemosyna & misericor-  
dia, quæ hanc adæquet.

II. In confessionibus etiam gravissi-  
morum peccatorum, magnam Confiten-  
tibus comitatem ostendant ac benevolen-  
tiam; absque ulla acrimonia & asperitate  
ver-

verborum, ac cum magna significatione sinceræ charitatis. Docuit id S. Laurentius Iustitianus serm. de Christi corpore: *Sit erga proximorum errata compassione compunctus*. Idem quoque suavit apud Turfelinum L. 6. c. 17. S. Xaverius: *Sint lenes instar medicorum. Nec dissentit S. Vincentius Tract. de vita spir. c. 10. In Confessionibus, ait, sive blandè consolens pusillanimes, sive durius terreas induratos, semper viscera charitatis ostendas, ut semper peccator sentiat, verba tua ex pura charitate descendere.*

Hoc pacto animæ magis juvabantur, & sincerius sese aperient, ac vulnera, morbosque detegent. Observavêre id constanter S. Philippus Neri, S. Franciscus Xaverius, P. Julius Mancinellus, P. Bernardinus Realinus, aliisque viri illustres Societatis nostræ, ad quos ordinariè omnium maximi peccatores accurrebant; verùm ad eò benignè ab eis in Confessione tractabatur, ut qui semel eis noxas exposuisset, alium deinceps nullum, præter ipsos, requireret. Atque hic est Spiritus Christi peccatores blandè susipientis: hic est spiritus

ritus Apostolicus, spiritus Ignatianus, & unicè Deo acceptus, ducere scilicet homines per viam amoris ad Deum. S. Maria Magdalena de Pazzis Anno 1599. 26. Decembris in raptu conspexit Deum ita sibi complacere in anima S. Joannis Evangelistæ, ac si alii Sancti in cœlo non reperirentur. Similiter in anima S. Ignatii Lojolæ: unde in raptu exclamabat: *Spiritus Joannis & Ignatii est idem*; quia totus est amare, & conducere animas ad amorem.

III. Cum pœnitentibus sub confessione circumspiciè loquendum. Hoc est monitum. S. Ignatii Anno 1545. Laynio & Salmeroni datum, dum tanquam Theologi pontificii à Paulo III. ad Concilium Tridentinum mitterentur, ut refert Orlandinus L. 5. Hist. Soc. n. 25. In auscultandis, rite peccatis, sic habetote, quidquid in aurem confitentis dixeritis, prædicandum super tecta, ac proinde eâ semper animi provisione accedetis, ac si dicta vestra omnia enuntianda essent in vulgus.

IV. Servanda quoque Conscientiæ arbitrio monita à S. Xaverio data. L. 6. c. 17.  
1. Si inter conjuges dissidium componendum,

dum, caveat, ne coram uxore, culpam in maritum conferat, sed potius ad debitam mariti observantiam hortetur. 2. Nec facile conjugis alterius de altero querelis fideat, nec inaudito altero quidquam statuatur. 3. Ad confessarium accedentibus, non tam ad peccata expianda quam ad paupertatis remedium petendum ostendat usum sacramenti poenitentiae, & ad curam animorum traducat, demonstrando, quanto graviora sint animarum incommoda quam corporum. 4. Confitentibus non festinam, sed diligentem navandam operam censebat idem Indiarum Apostolus, monens, ut praoptarent confessiones paucas rite factas audire quam multas temere praeparatas; Qui enim, Confitentes interius excuti? Qui debite instrui? Qui eorum odiis, fraudibus, aliisque vitiis adhiberi remedia possent, nisi per otium curarentur? An verò dubium esse cuiquam possit, quin confessio una rectè instituta, multis cursim peractis sit praefenda, cum praesertim confessio aditum aperiat ad ad sanctissimum Eucharistiae Sacramentum? 5. Idem Sanctus P. Gaspari Barzaeo monitum dedit

dit, si quando incertorum Dominorum pecunia restituenda sit, potius per sodales misericordiae vel alios id faciat: saepe enim mendicantium fraus aut infamia hoc negotium inquinare solet. 6. Denique monebat, ut sumpto spatio, examen instituerent de confessionibus exceptis, & quae in alienis deliquissent, expiarent in suis. Alia pro ipsa praxi, ante, in, & post confessiones exceptas praestanda. Vide in Horologio Sacerdotali pag. 428.

## §. II.

Documenta pro Concionatoribus PP.  
Tertianis proposita.

**D**ocumentum I. Praebet Salvator; qui cepit facere & docere. Act. 1. Ut instrueret ita alios docere, ait S. Bernardus, epist. 107. ut etiam teipsum doceas, & prius facem Evangelicae veritatis, manu, quam ore praeferas: plenius enim docetur opere, quam sermone. Alias Concionatoribus oggeretur illud, quod Pharisaeis? Dicunt & non faciunt & c.

Documentum II. Tradit S. Franciscus Borgias in Libello de ratione concionandi

di c. 5. sic Ecclesiasten instruens. 1. Concionator ut spiritualem escam populo commodè præbeat, prius ipse cibum mandat, & sic instar matris in os infantis ingerat. Quare sacrificet, piè oret, jejuset, vigilet, lacrymetur, flagellis se verberet, corpusq; pœnitentiâ lubigat spiritui & domet: sic fiet, ut peccata, quibus tanquam à Dæmonibus multi occupantur citius expellat: nam ut Christus ait: *Hoc genus Dæmoniorum non ejicitur nisi per orationem & jejunium.* Matth. 17. 2. Angelorum quoque subsidium imploret; à Seraphinis quidem amorem postulet, à Cherubinis scientiam & lumen, à cæteris quoq; Hierarchiis dona flagitet, præcipuè verò ab Angelis Custodibus Auditorum potestatem sibi exoret docendi eos, qui illorum Custodię commissi sunt, & quæ in ipso desiderantur roget, ut Angeli inspirando suppleant. 3. Cùm virtutem quempiam Ecclesiastes populo persuadere desiderat; Sancti in ea virtute excellentis auxilium imploret: v. g. pro Castitate Josephum, pro charitate Joannem Evangelistam, pro pœnitentiâ Magdalenam.

4. Triduo ante concionem, primo die Deo Patri commendet memoriam, altero die Filio intellectum, tertio die Spiritui sancto offerat voluntatem. Et si quid forte memoriâ exciderit Patrem cœlestem appellet, si arcanum quid Scripturæ investiget, ad Filium confugiat; si se aridum & sine devotione reperiatur, Spiritum sanctum roget, ut amoris divini ignem in corde accendat. Hęc S. Franciscus Borgias l. c.

*Documentum III.* Virtutes aliis inculcandas, ipse Ecclesiastes antè possideat. Nemo enim dat, quod non habet; ut tanquam Angelus superior inferiores illustret, lumen ipse prius à Deo in meditationibus ac præcibus excipiat, & ut inflammet, ardorem. Celebris concionator ex ordine D. Francisci rogatus, cur ipse tantis populum flammis amoris non succenderet, atque S. Bernardinus, licet hic esset eloquentiâ inferior. Reposuit se carboni nonnihil tantum calido similem, qui carbones alios succendere nequeat, cùm ipse non ardeat, Bernardinum verò carbonem esse prorsus ignitum & candentem, qui quidquid tetigerit mox inflammet.

ardeat itaque Orator, ut ait Oratorum Princeps Tullius, qui alios vult accendere.

*Alia 12. Documenta Lege in Horologio Sacerdotali.*

### S. III.

#### *Praxis formandæ Concionis.*

**D**E ratione formandæ concionis, præclara extat scripta instructio Roberti Bellarmini, postea S. R. E. Cardinalis, quam ob eximia, quæ continet, Documenta, hisce infero. Sic verò habet.

I. Finis Christiani Concionatoris esse debet, docere fideliter, quæ populum oporteat vel deceat scire ex divina doctrina, & simul movere ad virtutes consequendas & vitia fugienda. Quare necesse est, ut qui utiliter concionari desiderat, primùm omnium, sibi præfigat scopum, quo dirigat totam concionem suam & singulas ejus partes: ut exempli gratiâ dicere debet apud se: Evangelium hodiernum hortatur ad pœnitentiam; volo igitur Deo juvante operam dare, ut in animis auditorum, ingenerem desiderium veræ pœnitentiæ, ac propterea colligam rationes, testimonio-

stimonias, exempla, & alia quæ ad hunc finem juvabunt. Pari ratione examinare deberet singulas partes suæ concionis, & videre, an ad finem propositum faciant. Hinc enim multi non modò non utiliter, sed cum periculo animarum suarum concionantur, qui nullum sibi finem proponunt, nisi consumendi unam horam dicendo, aut certè argutis sententiis & varietate rerum ac verborum detinendi Auditores. Isti ut finem verum non habent propositum, ita etiam non assequuntur, licet multùm fatigentur & sudent.

II. Ad docendum, qui est unus ex finibus Concionatoris, non satis est de singulis Evangelii vocibus aliquid dicere, vel ex singulis conceptus, ut vocant, elicere, ut quidam faciunt, qui non verbum Dei, sed verba prædicant: sed necesse est verum, germanum & literalem sensum eruere, & inde dogmata fidei confirmare vel præcepta vivendi tradere, ac breviter, id docere, quod Spiritus S. per illa verba doceri voluit; id enim verè est populum pascere, & instruere verbo Dei.

III. Ad movendum ad studium virtutum, qui est alter finis Concionatoris, non satis est irasci in peccatores & vociferari: inanes enim clamores terrent aliquando simplices, sed ridentur à Sapientioribus, & certè in neutris solidum fructum operantur. Itaque oporteret veris rationibus, quæ ducuntur à testimoniis divinis, à causis, & effectis rerum, de quibus agitur, ab exemplis & appositis similitudinibus convincere primùm mentes Auditorum, ut fateri cogantur ita esse vivendum, ut Concionator dicit; ac tum demum verborum copiâ & efficaciâ sententiarum, & variis exclamationibus impellendū sunt, ut velint serid id, quod vel se debere cognoverunt.

IV. Tria sunt necessaria ad fines prædictos consequendos, Zelus Dei sive fervoris ac spiritus vehementia, Sapientia, & Eloquentia. Quæ tria significata sunt linguis igneis, quæ super Apostolos apparuerunt, cum à Deo creati sunt primi Evangelici Prædicatores. Ardor ignis zelum, splendor sapientiam, forma linguæ eloquentiam designabat. Eloquentia sine cha-

charitate & sapientia est cymbalum tinniens & inanis garrulitas: Sapientia & eloquentia sine charitate res est planè humana, & mortua; charitas sine sapientia & eloquentia est instar viri fortis sed inermis.

V. Ad zelum seu spiritum hauriendum, cui potissimum studere debet Christianus Orator, nihil prodest magis, quam oratio ad DEUM assidua, rerum celestium continua & serja cogitatio & librorum spiritualium, ac eorum potissimum, qui vitas Sanctorum continent, pervolutatio.

VI. Ad sapientiam Concionatori necessariam tria requiruntur. 1. Cognitio Scripturarum, & ideo deberet Ecclesiastes quotidie aliquid legere ex Divina Scriptura, ut eam sibi faceret familiarem valde, & simul adhibere commentaria Patrum. Qui autem sint optimi Scripturæ Interpretes, ex meo catalogo peti possunt. Ex recentioribus Cornelius Jansenius & Adamus Salsbourn excellere mihi videntur. 2. Requiritur notitia dogmatum Ecclesiasticorum, in quo genere tutissima

tissima est doctrina S. Theologiæ & Catechismi Tridentini. Neq; rectè faciunt, qui populo opiniones Doctorum de dogmatibus proponunt: neque enim parum esset, si populus, quæ certa sunt, planè intelligere & retinere posset. 3. Exigitur vera eruditio, ut habeat concionator exemplorum, similitudinum, testimoniorum & rationum copiam, ad quam rem valde conducunt, Digressiones S. Joannis Chrysostomi in Epist. B. Pauli. Et sermones ejusdem ad populum Antiochenum Sermones S. Basilii de jejunio & seq. Tractatus S. Augustini in psalmos & sermones ejusdem de verbis Domini & de verbis Apostoli: Dialogi S. Gregorii; Historiæ Ecclesiasticæ & vitæ Sanctorum fideliter scriptæ ab Athanasio, Hieronymo, Sulpitio, Palladio Theodoretto, Beda & aliis.

VII. Ad eloquentiam Christianam, imò ad omnem veram eloquentiam, requiritur, ut emendet ac poliat, sed non destruat aut corrumpat naturam. Atque in hac re peccari potissimum solet. Debet ars emendare naturam, quia nonnulli in-

ter-

terdum vel educatione, vel pravâ consuetudine, vitiosè loquuntur & agunt; ut cum verbis utuntur impropriis, vel minus honestis, vel phrasibus nimis levibus aut obscuris: & cum caput indecorè movent, aut solâ sinistrâ manu gestum faciunt, aut aliter peccant in agendo; quæ vitia facile observatione notari & caveri possunt & debent. Sed rursus ut dixi, debet ars non destruere naturam; & si peccata aliqua toleranda sint, minus malum est non emendari, quàm corrumpi naturam. Destruunt naturam, qui dum concionantur, vel sono vocis utuntur insolito, ut non tam loqui, quàm librum aliquem legere, aut etiam canere videantur: aut verbis utuntur poetiis, aut jam antiquatis, aut nimium affectatis, vel certè phrasibus ita concinnis, ut omnes intelligant eum multùm laborasse in componenda oratione. Ista enim detrahunt Concionatori omnem penè autoritatem, cum animi vani & secularis manifesta signa sint.

VIII. Si quis autem hoc vitium fugere velit, cogitare debet se (licet ex superiore loco ad multos) tamen cum homini-

L

bus

bus locuturum, & cum eis ita acturum, ac si seorsum cum singulis ageret. Qui enim cum uno aliquo loquitur, ut ei aliquid persuadeat, certè non utitur initio multis conecis, aut congerie epithetorum, aut phrasi poëticâ, nec magnâ corporis commotione, nec voce inultratâ; sed planè more humano, primùm quieto corpore, voce moderata & verbis simplicibus. Deinde si opus sit contendere, vel hortari, vel reprehendere, paulatim assurgit, vocem attollit, multiplicat verba, agit corpus, exclamat, ut mutationes vocis & verborum congeriem, ac totius commotionem corporis pariat affectus, non affectatio vel artificium. Hoc solum interesse deberet, inter orationem Concionatoris ad populum, & familiarem colloquutionem unius ad alterum, quòd Concionatori ut commodè exaudiatur, est aliùs loquendum, etiam gravius & magis consideratè: quia gravius malum est, coram multis peccare, quàm coram uno, & quia ut quidam ait multitudo honorabilis. Hæc Bellarminus.

Cu.

*Cujus præclaram concionandi methodum utinam nonnulli moderni temporis Ecclesiastæ exactius observarent, præsertim quoad zelum, orationem, & rerum cælestium atq; æternarum contemplationem, profectò alia foret Ecclesiæ facies.*

## §. IV.

*Cur ex tot Concionibus, tam exiguus referatur fructus?*

**L**audatus antè Bellarminus de ascensione mentis in Deum gradu 6. Causam exigui fructûs tot Concionatorum, in defectum zeli; charitatis & ignis refundit.

Per quadragesimam, inquit, in magnis urbibus quotidie, viginti, triginta, aut quadraginta Oratores declamant, & tamen peractâ quadragesimâ, nulla ferè mutatio in moribus civitatis apparet; eadem vitia, eadem peccata, eadem frigiditas, eadem dissolutio cernitur. Ego nullam invenio causam, nisi quia ut plurimum conciones eruditæ, & elegantes & floridæ funduntur; sed deest anima, deest vita, deest ignis, breviter, magna

illa charitas deest, quæ sola potest dicentium verba animare, & corda audientium inflammare & commutare. Neque hoc dico, quod desit multis Prædicatoribus contentio vocis, & motus totius corporis; nam etiam bombardæ sine pila ferrea magnum sonitum edunt, sed absque fructu; quod desideratur, hoc est, ut præferant magnum affectum erga Deum & animarum salutem, cumque non simulatam, sed verum, non extortum, sed quasi naturaliter ex fonte cordis manantem.

S. Petrus artem dicendi non noverat, folius naviculæ regendæ, retiumque reficiendorum & jaciendorum peritus erat: sed ubi Spiritus S. in linguis igneis super eum descendit, & charitate ardentissimâ eum replevit, cæpit continuò in media Urbe Hierosolyma, ita potenter, ita ardentè loqui, ut uno sermone multa hominum millia ad pœnitentiam fidemque converteret. Act. 2. Neque tamen legitur in concionibus suis magna vociferatione usus, aut totius corporis commotione fatigatus.

De

De S. Francisco refert S. Bonaventura, eum nec valde eruditum fuisse, neque Rhetoricæ operam dedisse, & tamen cum ad populum conciones haberet, audiri solitum ut Angelum de cœlo c. 2. vitæ. Verbum ejus erat velut ignis ardens penetrans intima cordis & ut narratur in Chronicis ordinis Minorum c. 30. Cùm aliquando post prandium ex improvviso paucis verbis ad populum locutus esset, tanta facta est in toto populo commotio ad pœnitentiam, ut videretur illa ipsa dies, feria sexta parasæves Domini fuisse. Unde ex paucis verbis tanta commotio? tantus fructus? ex eo videlicet, quòd Sanctus ille Concionator esset, quasi carbo ignitus & verbum ejus ut facula ardens, ut de Elia scriptum reliquit Ecclesiasticus c. 48.

Habemus scriptos sermones S. Vincentii, S. Bernardini & aliorum quorundam Sanctorum, quos vix dignantur aliqui legere ob nimiam simplicitatem verborum; & tamen scimus ab illorum concionibus multa hominum millia ad Deum conversa, & ipsos incredibili concursu & attentione semper fuisse auditos, quia vi-

delicet verba ipsa simplicia à pectoribus ignitis & scintillantibus prodibant. Hactenus Bellarminus. Hæc igitur causa est, cur ex innumeris concionibus etiam moderno tempore tam exiguus fructus reportetur. Deest enim 1. virtus, deest perfectio, deest sanctitas, deest zelus & charitas concionum vita & anima primorum Patrum nostrorum. Deest 2. oratio consideratio & meditatio, quâ zelus & charitas, ac fructus à DEO obtineatur. P. Benedictus Palmius celeberrimus è Societate nostra in Italia & Sicilia Concionator, nunquam nisi præmissâ multarum horarum oratione & non rarè tam copiosa lacrymarum profusione, ut pavimento, ubi oraverat, adefaceret, cathedram conscendebat; unde oriebat, (quem admodum Bibliotheca Scripitorum Societatis refert) ut concionandi modum, quem à P. Laynio, primisque Societatis Patribus didicerat, è Sacris Scripturis & sanctorum Patrum solida doctrina ad extirpanda vitia, inserendas virtutes, morumq; emendationem, retinens, tantâ energiâ, pietate, zelo, ardore animi, Romæ, Mediolani,

Venetis, Genæv, ad populum dixerit, ut omnes in admirationem raperet, & quocunque vellet impelleret. Imo cum summa efficacia & animorum commotione dicenti, aliquando acclamatum fuerit: Beatus venter qui te portavit! Et in hac Provincia nostra P. Rosenthal, quanto ardore, & fructu Colonæ in templo nostro peroravit? non verborum phaleris aut rebus exquisitè raris & variis, conciones faciens, sed sacræ Scripturæ & SS. Patrum sententiis corda movens; (ut conciones impressæ testantur, quas vix aliqui dignantur inspicere). Ignem verò illum & zeli fervorem unde hausit, nisi ex diuturna oratione & quatuor horarum, dictionem præcedentium, ante Venerabile Sacramentum, flexis genibus peractâ meditatione?

Concionandum igitur, ex spiritu, ex spiritu, ex spiritu, ut aiebat S. Theresia: Jussit Christus Apostolos suos prædicare non curiosâ, non inutitiam, sed regnum Dei, & pœnitentiam, non in sapientia verbi & sublimitate sermonis, ut non evacuetur crux Christi; non enim (ait Apostolus)

nosmetipsos predicamus sed Jesum Christum Dominum nostrum 2. ad Cor. 4. c. Scilicet ex Spiritu zeli, & charitatis Dei & proximi. Deinde plus temporis impendendum orationi & meditationi, pro hoc Spiritu obtinendo, quam comparandis flosculis, & rebus raris, quibus conciones faciendo delectemur potius quam moveamus. Ita fiet ut peccatores ex concionibus, revertantur percutientes pectora sua, ac mores distortos corrigant.

## §. V.

## De defectibus Concionatori in concione vitandis.

**P**Ræter assignatos duodenas in Horologio sacerdotali defectus, sequentes ex P. Lancicio suggestos, Orator cavere studeat.

1. Clamor statim in exordio vitandus,
2. Longa nimis exordia cavenda.
3. Manibus quatere pulpitem, cordatis Auditoribus molestum est.
4. Manus complodendo sonum ciere, ingratum est.
5. Citare pro confirmatione Neotericos,

cos, ut Drexelium, de Ponte, Authoritatem apud populum sufficientem non habet.

6. Spuere in suggestu, excreare versus illam partem, quâ asservatur Venerabile, irreverens est.

7. Ante inchoatam concionem in suggestu, strophiole nares emungere, indecorum est.

8. Ordinariè in citatione Patrum, exprimere tomum, librum, caput, paragraphum, versum, rem affectatam sapit & memoriæ ostentationem, nisi fiat ad fidem confirmandam in re, quæ difficulter creditur. In citanda Scriptura satis est Librum & caput citare omisso versu.

9. Excedere horæ spatium, vitium est; non explere semihoram, noxium, quia populus assuescit.

10. Ita proferenda verba singula, ut etiam extreme syllabæ intelligantur, nullæ absorbeantur. Atque ut melius percipiantur, crebriò facies vertenda ad Auditorium frequentius, subinde tamen etiam ad latus ubi pauciores existunt, & non tam diu.

II. Propositio concionis certa sit & determinata non universalis. v.g. non de temperantia in genere, sed de jejuniis servando, ebrietate fugienda.

12. Denique dictio, gestus manuum, motus membrorum, faciei & pilei compositio sit talis, in qua etiam hostis Concionatoris non possit notare superbiam, vel animi elationem, aulicissimum vel affectationem, aut quidquam jure reprehendere. Sed de his modò satis.

FINIS.

\*\*\*\*\*

Elenchus Instructionum.

I. Pro Candidatis Societatis Jesu	1
II. Pro Novitiis Societatis Jesu	25
III. Pro Scholasticis Societatis studia recolentibus	52.
IV. Pro Magistris Docentibus	71.
V. Pro Theologia Auditoribus	93.
VI. Pro Patribus Tertianis	113.
	IN-

INDEX HOROLOGII  
EXCITATORII.

Abnegatio sui.	pag. 152.
Affectus via purgativa.	145.
Illuminativa.	163. Unitiva. 170.
Bonorum Temporalium Renuntiatio.	64
Christus docens & patiens.	138.
Consilia Spiritualia pro Candidatis.	18.
Conversatio cum proximis.	p. 183.
Cura Minimorum.	37.
Devotio.	38.
Dictamina prava cavenda.	p. 60.
Discipulis Inculcanda.	73. & seq.
Doctio prestans & utilis.	71.
Exemplum Bonum.	213 & 6.
Exercitia Mensura PP. TT.	122.
Eorum Ordo.	126.
Fines amplectende Religionis.	1. 2. & 6.
Fines proprii Societatis Jesu.	5.
Gubernandi modus Asper.	89.
Remissus.	91.
Hebdomades quatuor Exercitiorum Spirituorum.	131. & seq.
Magistri docentes.	71.
P. Mauritius de Büren.	8.

*Methodus conjungendi Virtutem cum Scien-  
tia.* 53.

*Monita pro Missionariis, Confessariis &  
Operariis Apostolicis.* 215. & seq.

*Modestia.* 85

*Mortificatio passionum.* 148.

*Novitii.* 25. *Objectiones Sacularium.* 13

*Praxis formanda Concionis.* 208.

*Probatio prima.* 25. *Secunda.* 29. *Ter-  
tia fines & media* 114.

*Repetentes studia.* 52. & seq.

*Regula non violanda.* 42.

*Scholasticus.* 42.

*Societatis Jesu duodecim singulares gra-  
tia.* p. 7.

*Signa profectus Spiritualis.* 46.

*Status Religiosi novem prerogativa.* p. 5.

*Theologia Auditores.* 95.

*Virtus discipulis inculcanda.* 76.

*Visitatio Captivorum.* 189.

*Infirmitatum.* 191.



\*\*\*\*\*

## APPENDIX HOROLOGI SCHOLASTICORUM,

*Varias praxes, annuas, semestres,  
mensstruas, & hebdomadarias, So-  
cietatis Jesu Scholasticis per-  
tinentes continens.*

### P R A X I S I.

*De se preparandi ad festa Christi Do-  
mini, omnibus ejus festis com-  
munis.*

**S**uppono tanquam certum, dona spiri-  
tualia ac favores cœlestes eò liberaliùs  
à Divina Majestate conferri, quò majore  
diligentiâ anima religiosa se ad ea recipien-  
da disponit; festivis præsertim diebus, &  
è contrâ: nam, ut ait Apostolus 2. Cor. 9.  
*Qui parce seminat, parce & metet.* Unde  
& ipsa Ecclesia præcipuis festis jejunium  
& vigiliam præmittit, ut jejunando, vigi-  
lando & orando nos ad festum majori de-  
votione celebrandû præparemus. Omni-  
bus

2  
 bus itaque festis Christi Domini, sequentia servient, quæ & festis Sanctorum facile accommodarit queunt.

I. Singulari carâ puritati conscientiæ attende, ne fortè labes aliqua, gratiis in festo dandis obicem ponat.

II. Omnia opera, præsertim spiritualia majore diligentia, fervore, & perfectione obi.

III. Plus solito, orationi, lectioni spirituali, ac precibus jaculatoriis festo convenientibus, insiste.

IV. Variarum virtutum actibus, fidei, spei, charitatis, humilitatis, aliisque velut floribus cor adorna, ad recipiendum sanctius Dominum.

V. Memoriam festi instantis, & gratiarum festo die petendarum, sæpius refrixa: & opera humilitatis eleemosynæ corporalis vel spiritualis, ac poenitentiae exerce.

VI. Meditationem de mysterio festi infixue.

VII. Per diei decursum exercitia pietatis, in præsentia Christi, prout festo incidente proponitur, perage, cordis cubiculum

3  
 lum ei offer, consilia ab eo pete, benedictionem posce, orationem festi recita.

VIII. Octo obsequia ipsi debita offer.  
 1. Sublimem de ipso & Deitate ejus æstimationem. 2. Summum honorem & adorationem. 3. Magnam fiduciam, ob ejus potentiam, sapientiam, charitatem, & promissionem. 4. Ardentem amorem, desiderando & petendo ut ab omnibus ametur, debitè colatur, & hic amor re ipsa exhibeatur. 6. Imitationem perfectam pro viribus. 7. Meritorum ejus applicationem. 8. Oblationem sui omnimodam, in filium, servum, ac mancipium.

## PRAXIS II.

*Preparandi se ad festum Nativitatis Domini, tempore Adventus.*

I. **C**onsidera seu meditare in singulis titulis infra positis, quâ ratione Christus incarnatus & natus, fuerit Lux, via, Pastor &c. & in singulis duplicem fac reflexionem. *Imo* Quomodo singulis istis titulis Dominus Jesus tibi & aliis præstiterit, & præstet singulare beneficium, te docendo, illuminando, pascendo, regendo,

redimendo &c. 2. Quomodo tu non, ut decet, respondeas ejus doctrinæ, illuminationi, pabulo, &c. Eo fine ut te humilies, doleas, emendationem proponas, gratiam emendandi roges: deniq; intimè compatiaris, quod multi alii & ferè omnes mortales his ejus beneficiis non respondeant. Quemadmodum Christus Dominus S. Mariam Magdalenam de Pazzis docuit: ut generet instar turturis & compatetur, quod ipse tam parùm sit cognitus & amatus à Creaturis p. 4. vitæ c. 29.

II. Tituli autem sunt hujusmodi. 1. Christus incarnatus aut natus, est exemplar omnis sanctitatis. 2. Lux mundi hac nocte illuminans Pastores. 3. Frater noster, per Humanitatem. 4. Veritas per impletionem prophetiarum. 5. Parvulus Filius Virginis, Puer de Bethlehem. 6. Agnus tollens peccata mundi. 7. Dux. 8. Justus noster, fons omnis justitiæ. 9. Princeps Pacis annuntiata ab Angelis. 10. Non habens, ubi caput reclinet. 11. Magister noster docens humilitatem, mansuetudinem. 12. Legislator, Pastor, Admirabilis, Redemptor, Salvator, Mediator Advocatus, Sacerdos, Pater futuri sæculi. III.

III. Circa hos titulos, exerce sequentes virtutes. 1. Elice actum fidei & corde ac ore pronuntia: *Credo firmiter & sanguine meo confirmare paratus sum, te esse verum Deum & hominem, exemplar sanctitatis*, atque ita de aliis titulis. 2. Adora profundissimè. 3. Gratiarum age illi, quòd homo factus sit, & hac ratione voluerit esse exemplar, Lux, Frater &c. 4. Dole, quòd non corresponderis exemplari &c. 5. Offer ei munusculum aliquod, ut fieri amat Principibus & Hospitibus magnis. v. g. Voluntatem nunquam peccandi, vota &c. 6. Adjungendo te Pastoribus, pete instar mendici, *primò* remissionem peccatorum quoad culpam & poenam. *Deinde* vitæ sanctimoniam. *Tertiò* perpetuū progressum in virtutibus. *Quartò* gratiam reddendi alios meliores. *Quintò* pete gratiam vel auxilium, pro Ecclesia, Societate, Principibus, mortuis, vivis, &c. 7. Gratiarum age humillimas Patri, Filio, Spiritui Sancto pro beneficio Incarnationis admirabili. Item B. Virgini, quòd Christum pepererit, lactaverit, educaverit, S. Josepho quod servierit. Angelis quod

6  
 cecinerint: Gloria in excelsis: & Pastores  
 advocaverint. Pastoribus quòd adorarint:  
 Regibus quòd munera obtulerint. *Octavo*  
 cogita, quales cogitationes & affectus eli-  
 cuerit Puer de Bethlehem in præsepio, er-  
 ga Patrem, Spiritum Sanctum, B. Virgi-  
 nem, S. Josephum, Angelos, Pastores, Re-  
 ges. *Nonò* offer SS. Trinitati hunc puel-  
 lum pro tuis & mundi universi peccatis.  
*Decimò* compatere Christo, pauperiem,  
 frigus & alia sustinenti *Undecimò* osculare  
 in Spiritu sacratissimos ejus pedes, manus,  
 fascias, præsepe, stabulum. *Duodecimò*  
 redama te sic amantem, & reipsâ amorem  
 demonstra, imitando Dominum & Re-  
 gem tuum potissimum in quinis hisce vir-  
 tutibus, paupertate, humilitate, mansue-  
 tudine, sensuum omnium mortificatione  
 & charitate.

## PRAXIS III.

*Piè transigendi dies antecinerales.*

Cùm homines mundani, hisce diebus  
 plus libertatis assumant, & mundo,  
 carni ac Diabolo serviant; Religiosus So-  
 cietatis fervens ac sincerè Deum diligens,  
 observare poterit sequentia.

I. Abstine à peccato, in quod sæpius  
 labi soles.

II. Auge tempus orationis, saltem ho-  
 rà dimidiâ.

III. Lege Librum spiritualem paulò  
 diutiùs.

IV. Novâ aliquâ poenitentiâ corpus  
 afflige vel antiquâ longiore.

V. Visita frequentius Sanctissimum  
 Sacramentum, & affectum compassionis  
 erga Christum demonstra, quòd hoc  
 tempore adeò malè tractetur: solent enim  
 amici solatii caulâ sese invisere.

VI. Qualibet horâ elice affectum do-  
 loris de peccatis hujus temporis.

VII. Saltem ter in die profundissimâ  
 genuflexione adora Divinam Majestatem  
 versus quatuor mundi partes: & hac amo-  
 rosâ adoratione quodammodo compensa-  
 re stude, peccata Mundanorum, quæ in  
 istis partibus accidunt: dole, veniam &  
 conversionem pete, atque ad hanc obti-  
 nendam Jesu merita & sanguinem offer.  
 Hac ratione S. Maria Magdalena de Pazzis  
 multorum peccatorum conversionem ob-  
 tinuit. c. 101. vitæ.

*Praxis IV. Affectuum*

VIII. Opera bona ordinaria obi diligentius, perfectius & ferventius: cum servi Diaboli ferventius Deum offendant.

IX. Adjunge extraordinariam communionem ad placandum Deum tot modis offensum.

X. Solito magis mortifica gulam, sive in quantitate, sive in qualitate, quâ toties hoc tempore Deus offenditur.

XI. Sermones & colloquia de rebus divinis cum amico institue; cum toties Deus offendatur impuris sermonibus.

XII. Cum mundani otio indulgeant, tempus utiliter transige; & præter honestam, & religiosam recreationem, culpâ vacantem, saltem partem aliquam temporis utili occupationi tribue.

PRAXIS IV.

*Affectuum & devotionum, tempore Quadragesimæ.*

**B**eatissima Virgo S. Birgittæ dixit L. 2. rev. c. 21. In sepulchro Filii mei, semper cogitatio & cor meum versabatur: idemque illi Sanctæ imitandum suavit. L. 2. c. 26. Et tu id imitare hoc sacro tempore,

*tempore Quadragesimæ.*

9  
pore. S. Ignatius Minoritæ inter alia in exhortationibus populo commendabat, ut omni tempore cogitarent de passione Christi: quia hæc erat vera consolatio. Hæc erat ordinaria Patris Balthazaris Alvarez meditationis materia, & exhortationis; hinc sæpe inculcabat: *Non aestimemus nos aliquid fecisse, donec eò perveniamus, ut semper Christum ipsum Crucifixum in corde nostro gestemus.* c. 2. vitæ. S. Albertus. M. ausus est asserere, simplicem passionis Christi memoriam & meditationem plus utilitatis homini adferre, quàm si anno integro in pane & aqua jejunaret, ac flagellis se quotidie usque ad sanguinem cæderet, & psalterium totum quotidie recitaret. Rationem hujus reddit P. de Ponte: quia prædicta opera, etsi bona, & valde utilia; si nudè exerceantur, non habent tantam vim ad purificandum cor à vitiis, illudque virtutibus, & veritatibus illustrandum, & inflammatis divini amoris affectibus perficiendū, atq; attenta & profunda passionis Christi meditatio; quæ omnia hæc efficit, atq; ipsis etiam penitentiis vitam & spiritum addit. *Itaq;*

I. Cole passionem Domini & mortem ejus, simplici recordatione, sed piâ & affectuosa, nec sine amorosa commiseratione.

II. Excita in corde tuo intimum dolorem, ob passionem & mortem Domini tui. Hoc fuit exercitium Beatissimæ Virginis, ut S. Gertrudi revelatum. L. 5. c. 2. insin. div. piet. Et S. Franciscus, teste S. Bonaventura, nemora replebat gemitibus, & deplorabat altâ voce, quasi coram se positam Dominicam passionem.

III. Gratias age pro immenso passionis beneficio.

IV. Offer Christi sanguinem & merita Patri æterno, pro peccatis hominum, & pro acceptis beneficiis, vel pro novis impetrandis.

V. Meditare passionis Dominicæ mysteria. *Sit tibi Jesus in corde, & nunquam imago Crucifixi ab animo tuo recedat*, ait S. Bernardus. Hæc fuit occupatio S. Magdalene per S. Michaëlem edoctæ 32. annis in eremo, cruce pulcherrimâ ad antri ostiū positâ. *Silv. in ros. aurea.*

VI. Devotâ mente & oculis aspice cum

cum mora aliqua effigiem Crucifixi. Hoc Christus docuit S. Gertrudem L. 4. c. 25. insin. div. piet.

VII. Imitare virtutes heroicæ Christi patientis & morientis: resignationem perfectam, amorem crucis, afflictionis, confusionis, contemptûs, dilectionis inimicorum, accusationis injustæ, pœnitentiarum non promeritarum.

VIII. Morere spiritualiter in Christo, iis modis, qui in cadavere apparent. 1. Noli cogitare aut loqui de rebus ad te non spectantibus. 2. Noli esse sollicitus de te, quoad officium, gradum, habitationem & alia. 3. Noli appetere speciosas functiones, loca, personas. 4. Esto contentus si te omnes fugiant, si excludaris a conversatione magnorum, ut cadaver. 5. Sine te tractari & occupari à Superioribus tuis in hoc vel illo loco, officio, gradu, opere, instar cadaveris. 6. Non videas vel audias alienos defectus, sed instar cadaveris oculos clausos teneas. 7. Pro beneficio reputa, si absque ullo respectu tracteris, etiam ab Inferioribus; quia cadaveri hac re non fit injuria, sed convenit illi sub terra abscon-

condi, procul ab hominum conspectu. Eadem usurpari possunt ante sepulchrum Christi.

## PRAXIS V.

*Devotionis ante Sepulchrum Domini.*

**C**onsidera I. Qualis fuerit Christus Dominus in sepulchro nobis repræsentatus; fuit ornatus omnibus virtutibus sibi possibilibus; præcipuè his septenis: puritate, humilitate, patientiâ, obedientiâ, amore proximorum, amore Dei & devotione. Et proponere imitari.

Considera II. Statum animæ Christi, quem habuit corpore in sepulchro jacente: erat enim tunc in limbo Patrum 1. Dans illis lumen gloriæ & visionem beatificam. 2. Reali præsentia eos consolans. 3. Benignissimè cum illis colloquens, & ea quæ passus, manifestans. 4. Adducens animam boni Latronis, eamque prædam Lupo infernali in cruce ereptam ostendens. 5. Alia quoque illis prædicans ut ait S. Petrus. 6. Infernum spolians, animatq; è limbo educens. Gaude, gratulare, lauda, adora, gratias age.

Considera III. Omnia membra Christi in sepulchro jacentis, tanquam objectum gratissimum Patri æterno, & hinc rurtum 1. gaude. 2. adora. 3. gratias age. 4. offer te illi ad patiendum similia. Dole de peccatis, ob quæ tam indignè tractatus est. 6. Pete remissionem peccatorum, pro quibus tantum Patri æterno pretium obtulit. 7. Promitte morum emendationem. Deinde aspice & perlustra singula membra illa & considera, quid & quanta passa sint à stabulo ad crucem; osculare in spiritu singula & prædictos actus septenos elice.

Considera IV. Quinque sacratissima Christi vulnera & 1. singula adora. 2. Gratias age pro dolore in illis tolerato & pro sanguine pretioso ex iis profuso. 3. Pete tuorum & alienorum peccatorum remissionem. 4. Propone emendationem. 5. Sed potissimum in unione meritorum Christi offer manus ejus dextræ desiderium libenter patiendi accusationes ini- quas, si Deo his te exercere placeret. Manui sinistrae malam opinionem de te, etiam Superiorum. Peditextero desiderium contemptus interni ex sinistra opinione orti.

Pedi sinistro contemptum externum, neglectum, degradationem. Lateri Christi imminutionem famæ verbis & calamis factam; absque peccato tamen aliorum.

*Confidera V.* Caput Christi spinis coronatum & arundine percussum; & supra dictos affectus elice, & si cor habes, & animos, offer te ad patiendum humilitationes, mortificationes, persecutiones Superiorum, æqualium, inferiorum, in quantum non præjudicant gloriæ divinæ & bono communi.

*Confidera VI.* In animâ Christi à corpore separata admirabile desiderium nostræ salutis; pro qua, si opus esset, iterum, iterumq; pro singulis nostrum pateretur, velut antea pro omnibus; ut revelavit S. Birgitte L. 1. revel. c. 1. Admirare, adora, lauda abyssum istam divinæ charitatis, gratias age pro illa; resigna te & offer ad omnia quæ agere & pati vales, descendendo ad particularia amoris proprio injucunda.

*Confidera VII.* Solitudinem Christi in sepulchro jacentis, quomodo derelictus ab omnibus, nullus ei assistat, omnes deserant, cum tamen Herodes & Pilatus magno

servorum & aliorum comitatu stipentur. Compatere Christo, visita eum in spiritu, assiste ei semper, veniam pete, gratias age, esto contentus, si te deserit & nesciri contingat; ac nominatim tibi, tuisq; mortem felicem flagita. 1. Ut moriaris in gratia Dei. 2. Ut moriaris cum magnis meritis, quò possis Deum quàm maximè in cælo glorificare. 3. Ut moriaris factò magno fructu in quàm plurimis animabus pro quibus Christus mortuus est. 4. Ut moriaris inglorius & infamis (citra tamen præjudicium gloriæ divinæ, boni communis & offensæ Dei.) Sicut & Christus infami morte inter latrones tanquam latro mortuus est. 5. Ut moriaris sine ulla obligatione pœnæ in purgatorio luendæ. 6. Ut moriaris relicto ingenti thesauro satisfactionum tibi non necessariarum pro indulgentiis à Pontifice dispensandis. 7. Ut etiam post mortem Deum glorifices per memoriam bonorum exemplorum in vita relictorum, uti & per doctrinam aliis relictam, per scripta, impressa, merita.

*Considera VIII.* Pietatem Josephi ab Arimathæa & Nicodemi, qui impetratum à Pilato corpus JESU, & ligatum linteis cum aromatibus, mixtura myrrhæ & alcôs sepelivêre in monumento novo. Gaude repertos esse aliquos de Christi sepultura sollicitos, contemptisq; respectibus humanis erga eum liberales, comparatis centum libris aromatum. Gratias illis refer pro his obsequiis, eos pro hac pietate & observantia laudibus effer; & imitari propone, absq; respectibus humanis Christum tracta, ejus gloriam pro viribus, in te aliisque promove.

## PRAXIS VI.

*Devotionis & affectus erga Christum  
Dominum resurgentem.*

**A**ffectus I. Adorationis. Adora Christum resuscitatum 1. In divinitate ejus, tanquam Deum & creatorem: adora ejus naturam divinam, attributa divina, æternitatem, potentiam, sapientiam &c. 2. Adora Personam Christi ut distinctam à Patre & Spiritu S. 3. Adora eandem ut hypostaticè unitam Humanitati. 4. Adora Chri-

Christum tam multa pro te aliisque passum. 5. Adora corpus ejus gloriosum, vulneribus quinque insignitum.

*Affectus II.* Gratiarum actionis. Gratias age 1. pro tui redemptione feliciter peracta & liberatione à servitute Diaboli, peccati, & pœnis inferni. 2. Pro liberatione tot animarum è limbo & eorum visione beatifica. 3. Pro tot apparitionibus B. V. & Discipulis, factis, ut testes essent resurrectionis, & nos quoq; in fide stabiliremur. 4. Pro doctrinis post resurrectionem, pro instructione Ecclesiæ relictiis. Pro institutione sacramenti pœnitentiæ, eo tempore in tuum & aliorum bonum peracta.

*Affectus III.* Gratulationis. Gratulare Christo Regi tuo triumphanti 1. de gloria corporis & quaternis dotibus gloriosis. 2. De promeritiis, obtentisque morte suâ variis prærogativis, resurrectione & gloria corporis, impassibilitate animæ, dignitate regiâ, Dominio Universi, exaltatione nominis, summo Sacerdotio, encomiis Prophetarum, Autoritate Supremi Ecclesiæ Capitis, denique potestate judiciaria. 3. Gratulare ei de multiplici fructu in Creaturas,

18. *Praxis VI. de votionis erga Christum resurg.*  
turas, mediante ejus passione & morte derivato, ut sunt liberatio à peccatis, dona gratiæ & gloriæ. 4. De adoratione Angelorum & animarum Sanctarum. 5. De honore patriæ per totum orbem exhibito, per sacrificia, templa, vota, preces, bona opera &c.

*Affectus IV.* Oblationis & gratitudinis. Offer Christo resuscitato in signum grati animi & amoris pro beneficio redemptionis 1. Voluntatem nunquam de liberatè peccandi. 2. Nunquam regulam transgrediendi 3. Semper de spiritualibus loquendi. 4. Opera quotidiana perfectè obeundi. 5. Vota, proposita, cruces.

*Affectus V.* Spei & orationis. Ab hoc Rege liberalissimo pro te aliisq; varia pete. 1. Emendationem hujus vel illius defectus. 2. Victoriâ tentationis. 3. Adaptionem certæ virtutis. 4. Conversionem certorum peccatorum aut heterodoxorum. 5. Liberationem certarum animarum è purgatorio.

PRA-

PRAXIS VII.

*Præparandi se ad festum Pentecostes seu ad Spiritum Sanctum.*

**I.** Prima & optima præparatio est animæ purgatio & puritas; quæ quò major erit, eò majora Spiritus Sanctus dona infundet. Minue ergò peccata præsertim magis deliberata.

II. Præparatio altera est accurata linguæ custodia, ne eâ Spiritus S. qui in forma linguæ apparuit, offendantur. Cave ergò à detractone, contemptu aliorum, contentione, jactantia.

III. Decem dies inter festum Ascensionis & Pentecostes cum Apostolis te recollige, aut exercitiis spiritualibus vaca, si per tempus licet: aut saltem attentius & diutius insiste meditationi rerum cœlestium, præsertim beneficiorum divinarum, exemplo Apostolorum & B. V.

IV. Major & frequentius exercitium virtutum præcipuarum, quibus oblectatur Spiritus Sanctus, valde bona est dispositio ad Spiritum S. S. Gertrudis à Deo intellexit L. 4 c. 38. Quatuor virtutibus animam præ-

preparari ad Spiritus Sancti susceptionem, puritate, humilitate, tranquillitate & concordia, si in his proficere studeret. S. Bernardus Castitate, longanimitate, suavitate, charitate non ficta. Tract. de vita solit.

V. Solito ferventior oratio, recitatio horarum, psalmodiarum, officii aut Litaniarum de Spiritu S. petitiō 7. donorum, & 12. fructuum Spiritus S. *Vide Horolog. Sacerd. pag. 291. & 294.*

VI. Major conatus assequendi perfectionem.

VII. Maximi denique momenti est ardentem & frequenter per diem, v. g. ad horam sonum, invitare Spiritum S. *Veni sancte Spiritus*, vel: *Veni creator Spiritus*, erigenda quoque spes, & desideranda magna dona, atque ut efficacius ea obtineantur; addenda corporis afflictiones, flagellationes, cilicia, jejunia, & lectus durior.

### PRAXIS VIII.

*Devotionis per octavam Corporis Christi.*

I. **Q**uolibet die meditare de S. Sacramento.

II.

II. Sæpius in die & ferventius solito illud invise.

III. Diligentius solito refræna linguam tuam ab omni peccato, in honorem S. Sacramenti toties linguam tuam tangentis.

IV. Sæpius intra octavam & majore fervore sacram mensam adi.

V. Indies afflictionem aliquam, aut castigationem corporis adhibe, v. g. disciplinam, ad placandam summam Numinis Majestatem, ob tot irreverentias SS. Eucharistiæ toto mundo illatas.

VI. Saltem ter in die, mane, meridie, & vesperi quinquies genu flecte versus quatuor mundi partes, breviter & affectuose ob tres causas. 1. Ut petas remissionem peccatorum, quæ in ista mundi parte contra S. Sacramentum perpetrantur. 2. Ut gratias agas Divinæ Majestati pro beneficiis collatis mediante Sanctissimo Sacramento, & missæ sacrificio, tam vivis, quàm defunctis. 3. Ut commendes Christo Domino in Eucharistia existenti in ea mundi parte, omnes necessitates spirituales & temporales vivorum & defunctorum.

VII.

**VII.** Sæpius communica spiritūaliter per octavam, exactius observa silentium, minus loquere de indifferentibus, ac solito devotius sacram hostiam aspice, flectendo eo loco, quo commodè videri queat. S. Gertrudi revelatum divinitus, toties augeri meritum, quoties cum devotione ac desiderio sacram hostiam aspexeris. L. 4. infim. c. 25.

**P R A X I S IX.**

*Colendi B. V. Deiparam & ad ejus festa sese preparandi.*

**C**um B. V. singularis sit Advocata & Patrona nostræ Societatis, eamque sub cœlestis pallii sui umbra protegat, ut vidit P. Guttierrez in vita P. Balthasaris Alvarez, idque quivis de Societate experiatur, par est, eam quoque à quolibet singulari devotione coli.

I. Praxis est, si non vacet quotidie recitare rosarium in templo flexis genibus, per horam more P. Antonii Velasquez, aut si non liceat cum P. Bernardino Realino duodenas interdium, & totidem noctu coronas persolvere, saltem indies; piè & constanter unam recita.

II.

*& ad ejus festa sese preparandi.* 23

II. Praxis, recitare piè & terventer patrum B. V. officium, more P. Jacobi Miron, à cujus obitu omnibus afflatus suavissimus odor, à B. V. quam in agone conspexerat, relictus.

III. Recitare officium de immaculata conceptione B. V. exemplo nostri Fratris Alphonfi Rodriguez 40. annis illud constantissimè recitantis, & ejusdem B. V. apparitione frequenter recreati.

IV. P. Alexandri Gottifredi Generalis S. J. recitare stellarium B. V. quotidie, id est duodecies duodecim salutationes angelicas.

V. Recitare indies orationem: Ave candidi. Simum lilium: quam devotè indies recitanti. B. V. promisit se apparituram in exitu animæ. S. Gertrudis L. 3. cap. 29. infim. Aut recitare ternas orationunculas ad Patrem, Filium, & Spiritum S. quas B. V. S. Mechtildem docuit L. 1. c. 55. recitantibusq; ad futuram se in horâ mortis spondit. Vide eas in anno Cœlesti P. Nadasii.

VI. S. Thomæ Cantuariensis Episcopi; qui cum indies 7. salutationibus angelicis

ho-

honoraret 7. B. V. gaudia in terris habita,  
B. Virgo jussit totidem salutationibus coli  
7. gaudia cœlestia.

VII. B. Jordani in generalitu successo-  
ris S. Dominici quinos psalmos recitare,  
initalibus literis Mariæ nomen exprimen-  
tes. Scil. M. Magnificat A. Ad te levavi. R.  
Retribue seruo tuo. I. In convertendo. A.  
Ad te Domine levavi animam. Singulis au-  
tem subiciebat salutationem angelicam.

VIII. P. Caroli Spinolæ Japoniæ Mar-  
tyris, recitare novem salutationes Ange-  
licas & in singulis meditari unum ejus pri-  
vilegium.

IX. S. Philippi Nerii : sumptâ in ma-  
nus coronâ precatóriâ, singulos globulos  
tactu percurrere, & ad singulos affectum  
aliquem elicere, B. Virginem laudare, aut  
ejus opem implorare. v. g. Mater Dei ora  
Jesum pro me.

X. B. Stanislai Kostkæ. Habere altissi-  
mam æstimationem de B. V. cãmq; variis  
laudibus ac titulis honorare, aut cum eo-  
dem & cum Bergmanno & P. Salmerone  
crebro & magno gustu de B. V. colloquia  
cum aliis instituere. Aut cum P. Josepho:

Anchieta ad honorem B. V. rhythmos ac  
versus componere : obtinuit is ea re, do-  
num integerrimæ castitatis inter nudas  
barbaras gentes & salvus inter tot pericula  
evasis.

XI. Ne prolixior sim, imitare sequen-  
tes. P. Suarez in omnibus difficultatibus  
& dubiis ad B. V. recurrebat. Bergman-  
nus, si quid impetratum vellet, syngra-  
pham promissionem certorum operum  
continentem imagini B. V. affigebat. P.  
Franciscus Costerus nullam B. V. iconem  
absque salutatione angelica præteribat.  
P. Sebastianus Barradius nullam iconem  
B. V. neglectam aut loco minùs honesto  
asservari patiebatur. Andronicus Impera-  
tor & P. Balthasar Alvarez parvam B. V.  
statuam collo appensam gestabat. Idem  
præstitit, & omnibus Diœcesis suæ incolis  
suasit S. Carolus Borromæus. Franciscus  
Toletus Cardinalis templa B. V. dicata  
frequentabat & itidem celebrabat. P. Al-  
phonfus Vera sibi commissos B. V. com-  
mendabat, & quidquid apud eos effectum  
vellet, à B. V. impetravit. Bergmannus te-  
nerimum erga B. V. affectum flagitabat.

Praxis IV. Colendi Deiparam  
P. Franciscus Enzinas novendialem pietatem instituebat. P. Franciscus Cofterus in pervigiis B. V. se in publica cœnatione sociorum accusabat, pœnãmq; aliquam de se reperebat. S. Carolus Borromæus. P. Eusebius Nierenbergius. P. Carrafa & alii jejunabant sabbato & in pervigiis in pane & aqua. Alii in triclinio flagris se cœdebant, alii Sanctos de familia B. V. impensè colebant, S. Josephum, S. Annam, S. Joachimum, alii Discipulis singularem erga B. V. amorem & devotionem instillabant. Nullum erat in Hungaria, Bohemia, Carinthia, Stiria, Carniola Sodalitium B. V. in cujus album Ferdinandus II. Imperator nomen suum non referret. Vitæ cap. 7.

XII. Ultima & omnium optima praxis & B. V. gratissima est, imitari ejus virtutes, puritatem, humilitatem, obedientiam, vitam exemplarem, in omnibus dictis, factis, motibus circumspectionem. Tunc enim veraciter Sanctos colimus; si eorum vitam conversando imitamur S. Laurent. Justin. in festo SS. Omnium.

PRA-

✿ (27) ✿  
PRAXIS X.

*Colendi Patronum anni, mensis,  
nominis.*

Quemadmodum Tobias junior, ita & quilibet Religiosus, qui ad hæreditatem paternam capiendam, & iter in cœlum dirigendum mittitur; indiget viâ commite fidelissimo, qui eum in hac peregrinatione ducat, doceat, defendat. Quis verò erit ille? *Ad aliquem Sanctorum convertere*, ait Job. c. 5. ut igitur hujus Sancti patroni tutelam obtineas.

I. Ultimo die anni vel mensis, Deum roga, ut talem tibi Patronum destinet, ob cujus intercessionem vult profectū tuum augere & suas tibi miserationes elargiri.

II. Sanctum tibi in tutelam designatum cum debita gratiarum actione, tanquam à Deo deputatum devotè & reverenter suscipe. Et primâ occasione necessitates tuas ei expone & commenda, & instar Jacob, cum eo non brachiis, sed precibus luctare, nec desine, donec benedictionem consequaris.

III. Sanctum tuum tutelarem quotidie

die minimum bis manè scilicet & vesperi  
 ora, ut protectione sua tibi assistat & 1.  
 Ad meditationem rerum celestium lu-  
 men imperret. 2. Desideria & preces tuas  
 Domino, cui semper adstat repræsentet.  
 3. In necessitatibus, tentationibus & pe-  
 riculis succurrat.

IV. Obsequia, quæ in honorem cœle-  
 stis Advocati præstari possunt, sunt sequen-  
 tia. 1. Diem festum ejus jejunio vel absti-  
 nentia peculiari præveni. 2. Vitam ejus  
 aut saltem partem lege. 3. Si possis, sacram  
 synaxin frequenta, aut saltem desiderium  
 concepe. 4. Meditationem de Sancto insti-  
 tue. 5. Selige peccatum aliquod, à quo, illo  
 die, aut per octavam abstineas. 6. Virtu-  
 tem, quâ Sanctus Protector tuus maximè  
 Deo placuit, per ejus intercessionem &  
 Christi merita pete. Tempora autem pe-  
 tendi sunt, in colloquio meditationis, in  
 fine examinis, post communionem. 7. Vir-  
 tutis illius tot actus elice in festo aut per  
 octavam, quot Sanctus vixit annos. 8.  
 Gratias age Deo pro beneficiis naturæ,  
 gratiæ, gloriæ, Sancto illi, & per illum aliis,  
 collatis. 9. Singulis diebus aliquid quod

corpus domet, aut voluntatem frangat,  
 suscipe. 10. Non tantum proprias, sed &  
 communes Ecclesiæ necessitates, aut or-  
 dinis, Patriæ, Domus Sancto commenda:  
 & quod inter omnia præcipuum est, San-  
 cti virtutes imitare. Hac ratione Patro-  
 no tuo cliens perquam gratus, dilectus &  
 protectus eris.

## P R A X I S X I.

*Diem vocationis, vel ingressus in Socie-  
 tatem piè celebrandi.*

**S**I antiqui natales suos, quibus ad mise-  
 rias & mortem nati, non sine lætitiæ si-  
 gnis celebrabant, quod de Pharaone legi-  
 tur Gen. 40. De Antiocho 2. Machab. 6.  
 De Herode. Marci 4. Quanto magis Re-  
 ligiosus diem nativitatis cum jucunditate  
 celebrabit, qua non ad vitam cum muscis  
 communem, sed sanctam & immaculatam  
 ingressus est. Cum ablactatus est Isaac,  
 Abraham Pater ejus fecit grande convi-  
 vium Gen. 21. Matthæus die vocationis  
 suæ fecit Domino convivium magnum in  
 domo suâ Lucæ 5. Quid ni & nos die vo-  
 cationis vel ingressus, tanquam in die ab-  
 lactio.

30 *Praxis Diem vocationis, vel ingressus.*

lactationis à mundi uberibus, lætitiæ signa edamus, & spirituale convivium adorne-  
mus? At quo pacto?

I. In vigilia illius diei, jejunio, aut abstinentiâ aliquâ, deinde corporis maceratione & publica aliquâ humilitatis & mortificationis ostensione te dispone.

II. Ipso autem die meditationis tempus in consideratione tanti beneficii & in ferventissima gratiarum actione, atque in laudibus divinis insume. Nolim tamen ut in hac meditatione aspicias religionis ingressum, ut obsequium Deo factum; sed potiùs ut ingens beneficium de benignissimi Domini manu susceptum. Reliquisti modica, recepisti maxima; pro uno Parente, multos Patres, & pro paucis propinquis Fratres plurimos invenisti: delicias exiguas & umbratiles pro ineffabilibus & stabilibus, & voluntatem tuam prosperam, pro Dei voluntate rectissima commutasti. A tumultu ad serenitatem, ab Ægypto ad paradysum translatus es, & à duris operibus luti & lateris, ad statum Filii, ad occupationes honorificentissimas & ad divinam familiaritatem evocatus.

Hęc

*in Societatem piè celebrandi.*

31

Hęc & alia similia mente volvens, ad laudes Domini Liberatoris tui assidue canendas te tota devotione converte, dicque illi: *Laudabo nomen tuum assidue & collaudabo illud in confessione, quia exaudita est oratio mea: quia liberasti me de perditione & eripuisti me de tempore iniquo, propterea confitebor & laudem dicam tibi & benedicam nomini Domini.* Eccl. 51.

III. Exomologesin institues, atque in ea de ingratitude erga tantum vocationis beneficium, & de annis tepidè in religione transactis accusa.

IV. In grati animi signum, aut celebra, aut communionem sacrâ te refice, si sacerdos non sis, & cum pauper sis, aliudque non habeas, quod pro dono vocationis offeras, unigenitum Filium Patri presenta. Et cum hoc donum, beneficium vocationis longè superet, propter illud nova beneficia confidenter pete, ut scilicet Deus qui cœpit, in te opus sanctitatis, illud perficiat, & perseverantiam donet.

V. Cum verò tu penitus insufficientis sis ad reddendas pro tanto beneficio debitas gratias, B. Virginem & Sanctos Patros

b 4

nos

31 de Deo  
Universi  
Bibliotheca  
*Praxis iuvandi animas*  
nos tuos roga, ut pro te Deum laudent, & gratias agant. Idem rogabis à Fratribus tuis. Nec desint festiva colloquia, quæ gratitudinem & vocationis amorem sonent. Sic Sanctum, purumque ac Deo gratum celebrabis convivium, diemque hunc celeberrimum atq; sanctissimum sanctè transiges & gratias novas reportabis.

## PRAEPRAXIS XII.

### *Iuvandi animas in purgatorio.*

I. **S**i sacerdos sis, missæ sacrificium pro defunctis offer, præsertim si privilegio gaudes animam quovis sacro liberandi; quale S. P. noster Ignatius à Julio III. Pontifice obtinuerat. Vel saltem lege ad altare privilegiatum. Quando ad alios fines legendum est, saltem secundaria intentio applicetur defunctis, & addatur efficax Memento, S. Augustinus petit, ut ad altare meminerint Monicae Matris suæ. L. 9. Conf. c. 13. Si nondum sacerdotio initiatus es, sacrum, cui interes, pro defunctis offer. Vel etiam sacra ab aliis tibi oblata, aut ad intentionem tuâ facienda, defunctis applica. R. P. Franciscus Piccolomineus Societatis

### *in purgatorio.*

33

cietatis nostræ Generalis omnia sacra, quæ quot hebdomadibus ad ejus intentionem celebrabantur, offerebat pro defunctis, ut ipsæ expedirent feliciter negotia, pro quibus illa destinari ab eo possent.

II. Offer pro anima quapiam communionem præsertim die communionis generalis; pro qua Bullam Societati dedit Urbanus VIII. Anno 1634. quæ pietas Romæ cæpta, inde in Hispaniam, Galliam, Germaniam, Poloniam, Belgium propagata est: Conceditur autem in Bulla communicanti, si more consueto oret pro concordia principum &c. plenaria indulgentia, quæ defunctis applicari possit.

III. Ora pro defunctis: sancta enim & salubris est cogitatio pro defunctis exorare. 2. Mach. 12. Recita itaque Horas Canonicas, officium B. V. Officium vel officium defunctorum, rosarium, psalmos penitentiales, quos S. Bernardus pro Matre sua recitabat: vel psalmum Miserere, vel de profundis, quem tempore mensæ cum suis orabat Thomas Morus Angliæ Cancellarius; inter exendum è triclinio, vel inter lavandum manus eundem

dem recitabat P. Joannes Cornelii Martyr in Anglia. Transiens cœmeterium, precare defunctis requiem dicendo: da requiem cunctis Deus hic & ubique sepultis: Ut sint in requie propter tua vulnera quinque. S. Aubertus Episcopus Cameracensis, requiem defunctis apprecans, vocem, audivit seu geniorum seu manium respondentium: Amen.

IV. Omnia bona opera vel partem satisfactoriam applica defunctis, exemplo SS. Christinæ, Gertrudis Lydwine, Theresiæ, Alexandri VII. Noltri Joannis Ximenez, P. Monroy, P. Munfort, & aliorum.

V. Eleemosynam da vel procura dandam pro solatio defunctorum. *Eleemosyna à morte liberat, & ipsa est qua purgat peccata & facit invenire misericordiam.* Tob. 12. Hinc innumere fundationes &c.

VI. Jejunia, cilicia, flagellationes offer. S. Tetta soror Regis Angliæ jejunabat pro solatio defunctorum: cilicio se inungebat P. noster Christophorus Mendoza Martyr in Paraquaria. Quot noctibus acriter se flagellabat P. Petrus Arriaga. Forti animo dolores & adversitates tolerabat P.

Antonius Daniel S. J. Martyr in Nova Francia, & Martyrio suo plurimas animas è purgatorio liberavit. Ad preces, jejunia, eleemosynas pro animabus, alios privatim & publicè pro concione excitabat P. Joannes Rebellus S. J. Alii libros de misericordia defunctis exhibenda tractantes & imagines, quæ animas purgantes representant, distribuabant. Imitare, juva pro viribus, tum quia tormenta sunt acerbissima, tum quia diuturna. M. Antonius Rudolphinus quatuor, & Celsus Finettus Societatis Scholasticus duobus annis fuit in purgatorio teste P. Lancicio, licet nullam in iis imperfectionem Romæ illis cohabitans notârit. Ludovicus Imperator cognomento pius 33. aîs. Carolus M. Imperator tot Ecclesiarum fundator ab Anno 814. usq; ad Annum 824. in purgatorio cruciatus fuit. De Innocentio III. Summo Pontifice S. Ludgardi revelatum, eum in purgatorio cruciandum usq; ad diem Judicii. Esto ergo misericors: nam *Beati misericordes, quoniam ipsi misericordiam consequuntur.*

Obeundi Exercitia octiduana.

**E**xercitia S. Ignatii, Deo revelante. & B. V. docente ab eo adhuc literarum ignaro conscripta, si debite insituantur admirandam vim & energiam continent, exeruntq; tum in animi excolendis & excitandis, tum ad omnem perfectionem & sanctitatem renovandis. Expertus est id omnium primus ipse Ignatius in secessu Manresano; ubi exercitia hac Deo aspirante tantum in eo valuerunt, ut è milite mundi in Athletam Christi admiranda metamorphosi transmutarint: Iisdem exercitiis S. Xaverium P. Petrum Fabrum, & reliquos primos socios à mundo abstractos Societati peperit: eosq; genuino Societatis Jesu spiritu imbuit, & Instituti ideam, ante constitutiones scriptas, instillavit, qua in Exercitiis velut fructus in semine latet. Solidus horum exercitiorum usus S. Carolus Borromaum in virum alium & sanctum reformavit; viris illustribus cœnobita refarsit, religiosos labantes stabilivit; solutos severioris discipline vinculis astrinxit deniq; innumeros quæ seculares, quæ Ecclesiasticos ubiq; terrarum ad virtu-

Nonnulla exercitiis præmittenda. 37  
tem & perfectionis culmen evexit. Si igitur Scholastici nostri solidè exercitia obierint, tanquam paulo post morituri, vim admirandam sentient fieriq; exercitia hac illis, fons aqua perenniter toto anno tum in Deum sursum salientis, tum in corde proprio bullientis, tum in proximos longe lateq; promanantis.

S. I.

Nonnulla Exercitiis præmittenda.

I. **R**emovenda omnia obstacula quæ distrahere & impedire possunt exercitiorum tempore; negotia si quæ sint, ante expedienda, aliq; omnia ordinanda sunt, ut animus à curis sit liberior & pacatior.

II. Animus bene sit dispositus, uti & corpus; corpus quidem ne sit infirmum, adeoque minus aptum his mentis laboribus, corpus enim quod corrumpitur, aggravat animam. Animi vero dispositio in eo sita est, ut intellectus & voluntas ad spirituales functiones sit expedita.

III. Intellectus sit limpidus, non obtusus, adeoque non indiscretè intendendus, ejus officium est discurrere & ratiocinari, & quis est, qui de rebus suis, pro modulo suo cogitare, cõsiderare & deliberare nequeat?

*Nonnulla Exercitiis præmittenda.*

IV. Voluntas, quæ lectione, directione, & cœlesti potissimum luminis influxu, quod nunquam deest, juvatur, excitanda est: & pro ejus dispositione S. Ignatius requirit 1. Ut animus sit generosus ad superandas difficultates occurrentes, vel ex ariditate ac desolatione mentis, vel ex anxietate conscientia vel ex perturbatione Dæmonis. 2. Sincerus cum Deo & directore sincerè agens. 3. Liberalis non tantum Dei gloriam, sed majorem etiam ejus gloriam quærens, totam se offerens, absq; dilatione, restrictione, mora. 4. Confidens, seque totam in amplexum & sinum paternæ providentiæ creaturam suam ad se venientem benignè excipientis, conjiciens. 5. Sollicitus, ut in omnibus præscriptis, additionibus, annotationibus, horis, sit exactus. 6. Solitarius non tantum à communi conversatione liber, sed etiam libenter omnia externa abdicans, ut solo Deo fruatur, nec etiam interna cum creaturis colloquia admittat. Ad quæ sensuum mortificatio confert plurimum.

V. Pridie exercitiorum, meditationem, vel considerationem nonnullam, de exercitiis

*Quædam tempore exercitiorum observanda* 39  
 citius bene obeundis, de eorundem necessitate, dignitate, utilitate, ac jucunditate, institue. Servire potest 1. Meditatio Exercitiorum P. Pawlowski. Deinde præstat antè legere additiones & annotationes ex Libello Exercitiorum.

§. II.

*Quædam tempore Exercitiorum  
 Observanda*

I. Finis hujus secessus spiritualis ex mente S. P. N. omnibus communis est præparatio & dispositio animæ ad tollendas affectiones omnes malè ordinatas, ut iis sublatis inveniatur voluntas Dei. P. Lancicius ait: Exercitiorum Finis pro Religioso Societatis est, plena sui renovatio. P. Joannes Wisse Collegii Monasterii & Padibornensis Rector & Doctor Theologiæ in scripto quodam, quod suis, spiritum exercitibus præfigebat finem statuit, Imperfectiones nostras videre, & corrigere novumque robur comparare ad melius Deo serviendū, juxta vocationem nostrā.

II. Scholasticus Societatis in specie studeat per exercitia annua altius animo suo  
 in-

inculcare, quaterna puncta supra pro Novitiis assignata & quaternę exercitiorum hebdomadæ respondentia. 1. Odium vehemens omnis peccati etiam minimi. 2. Ardens studium imitandi Christum in virtutibus & omnigena perfectione. 3. Amorem crucis, seu rerum amoris proprio adversantium. 4. Perfectam resignationem proprię voluntatis & rerum omnium aliarum. Amor enim ex mente S. P. N. consistit in mutua communicatione.

III. Tempore exercitiorum requiritur singularis devotio. 1. In adeundo sapius V. Sacramento. 2. In seria detestatione vitæ tepidæ transactæ. 3. In confessione & communione, sive sacrificiis missæ accuratius instituendis. 4. In corporis afflictionibus per jejunia, abstinentias, disciplinas, cilicia, aliásque mortificationes sensuum & gulæ.

IV. Meditationes suaderem ordinarię sumendas ex Libello Exercitiorum; Tutius ex ipso fonte bibuntur aquę; hæ enim antequam alii fusiores darent, ingentes fecere animarum fructus & miracula mortu pro illuminatione majore. Juvat tamen etiam

etiam alias, ante meditationem legere maximè, si, S. Patris meditationes sint breviores. Si quis enim aliorum ascetarum meditationibus prolixis utatur, potius erit modus secundus orandi, quàm meditandi. Meditatio firmiter & fructuosius insistit paucis quàm cursim multis.

V. Consideratio circa actiones ordinarias eò tendit, ut si quæ in perfecta eorum executione desiderantur, deinceps adhibeantur; & non tantum bene, sed perfectè & optimè, juxta regulas electionis peragantur, cum in iis nostra potissimum consistat perfectio. Vide igitur, quid desit tibi, quæ emendare possis ac velis.

VI. In consideratione regularum, observandum 1. quis sensus regulæ, seu quid præscribat. 2. Qui id hæctenus servaveris, qui verò debeas, possis aut velis in posterum, juxta exemplum Christi prælucentis.

VII. Liber spiritualis, qui manè dimidiâ horâ & à prandio dimidiâ legitur, debet esse conveniens meditationibus diei, & non de materiis disparatis, ut si de judicio vel morte mediteris, legenda non sunt lætitiarum parientia. Lectio verò attentæ, cū

42 *Temporis distributio in Exercitiis*  
applicatione ad profectum & meditatio-  
nem proximè instituendam. Thomas de  
Kempis legi potest in ambulando, cum in-  
terposita consideratione clauso libello.

VIII. Aspiraciones præscriptæ vel si-  
miles interdiu corde vel ore repetitæ, ad  
conservandum ignem in meditatione col-  
lectum, fovendumque plurimum condu-  
cunt.

IX. Ultimo die bona proposita colli-  
guntur, & ex iis, atque ex observatis cre-  
brioribus defectibus statuitur materia  
examini particularis pro singulis totius  
anni mensibus. Præscribitur exactus ordo  
diei & functionum, qui in examine, vel  
recollezione hebdomadaria mensuræ  
subinde examinatur.

§. III.

*Temporis distributio in Exercitiis.*

**H**ora IV. Surgitur in puncto. Visitatur  
Ven. Sacramentum. revidentur pun-  
cta meditationis.

Medio V. Inchoatur meditatio exactè,  
servatis additionibus ex Libello Exercitio-  
rum. Medio VI. per quadrantem recol-

le-

*Temporis distributio in Exercitiis.* 43  
lectio, annotatio propositorum, lumi-  
num &c.

Hora VI. Sacrum cum debita præpa-  
ratione & gratiarum actione.

Hora VII. Preces consuetæ. Lectio  
Libri spiritualis.

Hora VIII. Consideratio regularum,  
vel eorum quæ legenda assignantur è Li-  
bello exercitiorum & Thoma de Kempis.  
3tio quadrante præparatio ad meditatio-  
nem.

Hora IX. Meditatio.

Hora X. Recollezio. Et examen con-  
scientiæ.

Medio XI. Prandium.

Hora XI. Opus aliquod humile in cu-  
lina aut refectorio, Visitatio Ven. Sacra-  
menti, Recitatio rosarii, pia consideratio.

Hora XII. Litanæ B. V. scriptio. Exa-  
men particulare. Lectio Scripturæ assi-  
gnata.

Hora I. Exercitium aliquod corporale  
mediâ horâ.

Hora II. Consideratio de operibus  
quotidianis exactè obeundis, vel de regu-  
lis.

Ho-

*Hora III.* Vespere ; visitatio V. Sacramenti, Lectio Libri Spiritualis per mediam horam.

*Hora IV.* Horæ canonicæ, vel officium B.V. præparatio meditationis.

*Hora V.* Meditatio.

*Hora VI.* Examen successûs meditationis : Visitatio Ven.

*Medio VII.* Cœna.

*Hora VII.* Pia consideratio inter ambulandum, rosarium.

*Hora VIII.* Litanix omnium Sanctorum. Præparatio ad meditationem diei insequentis , examen particulare. Examen generale. Somnus.

## DIES I. Exercitiorum

*SS. Trinitati consecranda.*

**A**spiratio interdiu usurpanda ex S. Augustino. Fecisti nos Domine ad te & inquietum est cor nostrum, donec requiescat in te. Vel : noverim me, noverim te.

*Scopus hujus diei*

est tota intellectûs attentione clarè & intimè penetrare ; quis ille sit finis, propter quem

quem sumus, id quod sumus, ut eo benè apprehenso voluntatem ad efficacem ejus intentionem permoveamus.

*Meditatio I.* De fundamento ex Libello Exercitiorum S. P. N. Legi etiam ante vel post meditationem posset aliquis ex sequentibus ut P. Palma, P. Gaudier P. Barry, P. Mayer in industriis. P. Lancicius, P. Vatie, P. Santjure. P. Haynovius. P. Lohner. P. Masenius. P. Pawlowski P. Keppler, P. Elffen, P. Nouï & P. Ignatius Dierling, & alii.

*Meditatio II.* Eadem vel ejus pars si manè non sit absoluta, repetitur, finis enim ante omnia bene considerandus, ut suadet P. Gaudier & P. Lancicius, tanquam fundamentum & principium, cui omnia innituntur. Vel sumatur de fine Societatis Jesu, qui est propria & aliena perfectio. Vide P. Palma.

*Meditatio III.* De mediis ad finem, vel repetitio utriusque.

Consideratio à 2. ad 3. De modo surgendi. Qui requirit 1. promptitudinem. 2. Decentiam. 3. Gratiarum actionem. 4. Intentionem. 5. Gratix petitionem. Vide

*Horologium Schol. pag. 33. Vel consideratio regularū Summarū 1. 2. 3. 4. 5. 6. 7. 8. Vide P. Gaudier.*

Lectio ex Scriptura ante & post prandium Eccl. c. 1. 2. S. Matth. c. 16. v. 24. 25. 26. Ex Libello Exercitiorum annotationes 10, si pridie lectæ non fuerint. Ex P. Rodericio p. 1. T. 5. c. 25. 26. 27. Ex Thoma de Kempis L. 3. c. 9. & 10.

## DIES II.

*Consecranda Verbo Incarnato.*

**A**spiratio ex psal. 50. Davidis: Cor mundum crea in me Deus.

*Scopus hujus diei*

est concipere odium & horrorem peccati, quò à fine deviat.

*Meditatio I.* De triplici peccato ex Libello Exercitiorum S. P. N.

*Meditatio II.* De peccatis propriis. Ex eodem Libello. Legatur antè P. Palma med. de pecc.

*Meditatio III.* Repetitio utriusque cum 3. Colloquiis ex eodem Libello.

Consideratio de methodo perfectà meditandi, quæ requirit 1. Præparationem

*Consecranda Verbo Incarnato.*

2. Præludia duo vel tria. 3. Puncta duo vel tria. 4. Discursum intellectus. 5. Maxime affectus voluntatis congruentes. 6. Colloquium saltem in fine. 7. Bona proposita. 8. Defectuum animadversionem. *Vide supra pag.* Vel consideratio regularum, 9. 10. 11. 12. nisi id malis aliâ diei horâ facere, quod præstat.

Lectio ex Scriptura Isaia c. 1. Psal. 50. Epist. ad Rom. c. 6. Ex Libello Exercitiorum S. P. N. Additiones ad Exercitia, nisi pridie sint lectæ. Primus orandi modus. Ex P. Rodericio p. 1. T. 7. c. 8. & 9. T. 5. c. 28. Ex Thoma de Kempis. L. 1. c. 24. Et L. 3. c. 52.

## DIES III.

*Consecranda pretiosissima Dei Parenti.*

**A**spiratio: Ex c. 15. Lucæ Pater peccavi in cælum & coram te: jam non dignus vocari filius tuus. Vel: dum veneris judicare, noli me condemnare.

*Scopus hujus diei*

Consideratis terribilibus pœnis peccatorum quibus à Deo sine nostro defleximus

48 *Dies III. Consecranda*  
in odio & aversione peccati se magis firmare & ad dignos poenitentiae fructus faciendos animum excitare.

*Meditatio I* De morte ex P. Mayer vel P. Barry, vel P. Saintjure, vel P. Haynovio. P. Pawlowski.

*Meditatio II.* De Judicio ex P. Mayer. P. Pawlowski. Vel de fructibus veræ poenitentiae ex P. Barry.

*Meditatio III.* De inferno ex Libell. Exercit. Vel de purgatorio ex P. Mayer. Vel de Filio prodigo ad Patrem revertente. Ex medit. impressis in foliis separatis vel de motivis ad fervorem & prosequendam perfectionem ex P. Mayer.

Consideratio de Sacro, quod requirit debitam præparationem, attentionem, reverentiam magnam, modestiam, intentionem, gratiarum actionem. De sacro legendo. *Vide Hor. Schol. p. 107. De audiendo p. 67.* Consideratio Reg. 13. usq; ad 18. Lectio Scripturæ. Job. c. 10 & 14. Lucæ 13. & 15. Ex Libello S. P. N. Regula ad vitium temperandum & de scrupulis. Ex P. Rodericio p. 1. T. 1. c. 2. 5. 6. & T. 2. c. 8. Ex Thoma de Kempis L. 1. c. 23.

49  
pretiosissima Dei Parenti.  
24. & 25. *Vide etiam dissertationem P. Barry de spiritu fervoris tertio die, si placet.*  
NB. post secundam vel tertiam meditationem confessio generalis.

## DIES IV.

### S. Angelo Custodi Consecranda.

**A** Spiratio ex Sapiente : Gloria magna sequi Dominum. ( Jesum )

*Scopus hebdomada secunda est*

Agnito fine & multiplici nostrâ deviatione, quâ ab eo aberravimus, & poenis perceptis, quas propterea promeruimus, exutis etiam affectionibus actualibus ad peccatum, per poenitentiam & confessionem, habitualibus verò per desideria & proposita; redire ad finem & dirigere pedes nostros in viam pacis; imitando Christum Duce[m] nostrum, & per illum tanquam per viam veritatis ad vitam currendo.

*Scopus hujus diei est*

Imitari virtutes in Christi Domini infantia & vita occulta relucentes, ut exuto homine veteri, novum induamus.

*Meditatio I.* De incarnatione vel Nativitate Christi ex Libello S. P. N.

*Dies V. S. Josepho.*

*Meditatio II. De Vita Christi occulta ab Anno 12. ad 30. Ex Libello S. P. N. & P. Barry. aliisve.*

*Meditatio III. De regno Christi ex Libello S. P. N. & P. Barry die 5. med. 1. aliisve.*

Consideratio de utroq; examine, quod requirit actionem gratiarum pro beneficiis, petitionem luminis, considerationem peccatorum, cordis, oris, operis, dolorem & propositum emendationis. *De examine generali vide Hor. Sch. p. 142. De particulari p. 178. Consideratio de Reg. 19. usq; ad 31.*

Lectio ex Scriptura Isaia c. 7. & 11. Matth. 1. Lucae 2. *Ex Libello S. P. N. regulae posteriores ad pleniorum spirituum discretionem, 2. & 3. orandi modus. Ex P. Rodericio p. 2. T. 2. c. 1. & 4. & p. 3. T. 1. c. 8. Thoma de Kempis L. 3. c. 13. L. 2. c. 1. Vide etiam si placet P. Barry disertationem de felicitate vitae occultae, quinto die Hagiophila.*

**DIES V.**

*S. Josepho B. V. sponso consecranda.*

**A**spiratio ex P. Barry, sola salus servire Deo sunt caetera fraudes. *Scor-*

*B. V. sponso consecranda.*

*Scopus hujus diei est*

Christi exemplo, tum propriae tum alienae salutis & perfectioni vacare, & quam proximè possumus ad Christi imitationem accedere.

*Meditatio I. De duobus vexillis ex Lib. S. P. N.*

*Meditatio II. De tentatione Christi ex eodem, Lib. quae docet quomodo resistendum cupiditati & vanae gloriae. Vide medit. P. Avancini fol. 270. Dom. 4. post pent. Vel P. Gaudier in introductione ad solid. perfect. pag 345.*

*Meditatio III. De zelo Christi, ex P. Barry vel de tribus modis humilitatis ex Lib. S. P. N.*

Consideratio de Refectione corporis, quae exigit sobrietatem, attentionem ad lectionem, modestiam interiorem & exteriorem omnium partium corporis, & in primis oculorum custodiam, silentium, benedictionem & gratiarum actionem devotam. *De qua vide Hor. Schol. p. 151. Consideratio de Reg. 32. ad 42.*

Lectio ex Scriptura Isaia c. 42. 60. 61. Matth. 4. 10. Lucae 10. *Ex Lib. S. P. N.*



Regula priores ad motus animi discernendos. Ex P. Rodericio p. 2. T. 4. c. 9. 10. 19. p. 2. T. 3. 4. c. 3. & p. 3. T. 1. c. 1. 2. Ex Thoma de Kempis L. 1. c. 4. 8. 13. L. 3. c. 32.

DIES VI.

S. P. Ignatio Consecranda.

**A**spiratio, ex S. Paulo ad Phil. 1. *Mihi vivere Christus est & mori lucrum.* Vel ex S. Ignatio Martyre in Epist. ad Rom. *Amor meus Crucifixus est.*

Scopus hujus dici

Ex meditatione passionis Dominicæ, animum excitare ad heroica facinora aggredienda & ardua patienda, præsertim in paupertate labore, dolore, contemptu.

*Meditatio I.* De Christo patiente in horto. Matth. 26. Ex Libello S. P. N. P. Mayer P. Avancino.

*Meditatio II.* De bajulatione crucis & crucifixione. Luc. 23. Ex Libello S. P. N.

*Meditatio III.* De virtutibus in Christi passione & morte imitandis. Ex P. Barry. P. Pawlowski die 7.

Consideratio de studiis, quæ requirunt puram & rectam ad Deum intentionem,

tempus classium postulat modestiam & attentionem, si alios doces, curam diligentem tuorum, patientiam, clamores nimii vitentur etiam inter disputandum, indigni enim sunt religioso. *Vide Hor. Sch. p. 138. Consideratio Reg. 42. usq. ad finem.*

Lectio ex Scriptura Itaiæ c. 53. Zachariæ 13. Psal. 21. Matth. 26. 27. Marci 14. 15. Lucæ 22. 23. Joan. 18. 19. Ex Libello S. P. N. De penitentia seu afflictione corporis Ex P. Rodericio p. 2. T. 7. c. 2. 3. 8. 9. Ex Thoma de Kempis L. 2. c. 11. 12. Lib 3. c. 19. 37. 56.

DIES VII.

S. Francisco Xaverio Consecranda.

**A**spiratio ex B. Victoria: O Jesu mi dulcis amor, nil diligo præ te!

Scopus hujus dici

Ex consideratione resurrectionis Domini & amoris ac beneficiorum Dei, ad spirituales resurrectionem, ad gaudia cœlestia amorem & unionem cum Deo se excitare.

*Meditatio I.* De gloriosa Christi resurrectione ex Lib. S. P. N. 1. Gloriosè resurgit, 2. Apparet primùm Matri, dein-

ceps Apostolis ipsum quærentibus. *P. de Ponte. p. 5. med 2.*

*Meditatio II.* De spirituali resurrectione, cujus signa sunt 4. dotes gloriosæ. Agilitas ad quævis iussa Dei & Superiorum. Subtilitas ad quærendam & sectandam Dei voluntatem. Impassibilitas, ne vincaris adversitatibus. Claritas ut luceat lux tuâ coram hominibus.

*Meditatio III.* De amore spirituali ex Lib. S. P. N.

Consideratio de Relaxatione animi post mensam. Quæ requirit puram intentionem, colloquium de rebus piis & utilibus, cavendo disputationes, contentiones, detractiones &c. *Vide Hor. Sch. p. 170. Consideratio de regulis communibus.*

Lectio Eccl. 1. & 2. Joan. 20. 21. ad Coloss. c. 1. & 3. *Ex P. Rodericio p. 2. T. 7. c. 1. 5. 6. Ex Thoma de Kempis L. 2. c. 7. 8. L. 3. c. 6. & 31. Vide P. Barry dissert. De desiderio sanctitatis.*

### DIES VIII.

*Consecranda Patrono Nominis, anni, mensis.*

**A** Spiratio. Mihi adhærere Deo bonum est

*Consecranda Patrono Nominis, anni, mensis. 55 est vel aliæ similes meditationibus cujusq; dici congruentes.*

*Scopus hujus diei est*

In perfecta votorum observatione, resignatione & bene cceptis perseverare.

*Meditatio I.* De perfecta observatione voti paupertatis. *Et P. Mayer. Vide infra pag. 97.*

*Meditatio II.* De resignatione ex P. Mayer, vel de voto castitatis ex eodem. *Vide infra p. 71.*

*Meditatio III.* De perseverantia in bene cceptis 1. quàm necessaria. 2. Quæ incitamenta. 3. Quæ media. Vel de voto obedientiæ ex P. Mayer. *Vide etiam de obedientia infra p. 75.*

Consideratio de horis canonicis, aliisq; precibus, quæ requirunt religiosam animi attentionem & devotionem. *Vide Hor. Schol. de horis pag. 79. de oratione vocali. De reverentia, devotione ibid.*

Consideratio de Reg. modestiæ & officii Lectio ex Scriptura Deut. c. 10. Eccles. 33. 35. ad Ephes. c. 1. 2. 4. ad Gal. c. 5. 6. *Ex Lib. S. P. N. Reg. ut cum Ecclesia sentiamus. Ex P. Rodericio p. 3. T. 2. c. 1. 6.*

36 *Causa ob quas in multis non apparet*  
T. 3. c. 7. 8. T. 4. c. 2. T. 5. c. 11. Ex  
Thomá de Kempis L. 3. c. 10. 22. 19. Vi-  
de P. Barry dissert. 25. de felicitate voca-  
tionis religiosæ. Die 9.

Denique finitur ascensis visitatione Ve-  
nerabilis Sacramenti, obtinentur indulgen-  
tiæ plenariæ ab Alexandro VII. concessæ,  
oratur psalmus Miserere pro defectibus, &  
hymnus Ambrosianus in gratiarum actio-  
nem pro beneficiis, offeruntur Deo bona  
proposita, pro executione postulatur gra-  
tia, ut homo interior & exterior in hac as-  
censi cotidiana renovatus, totius anni de-  
cursu perseveret, ad propriæ perfectionis  
incrementum & meritum, proximi ædifi-  
cationem & exemplum, Dei majorem  
laudem & gloriam.

§. IV.

*Causa ob quas in multis non apparet,*  
*vel non diu durat fructus Ex-*  
*ercitiorum.*

**C**AUSA 1. est: Si meditationes tempore  
Exercitiorum non fiant cum tota  
applicatione animi ad eas bene faciendas.  
2. Malus usus temporis medii inter medi-  
tationes

*vel non diu durat fructus Exercitiorum.* 57  
tationes, ut si quis studiis vacet. 3. Occu-  
patione in rebus bonis quidem, sed dispa-  
ratis & non congruentibus materiæ præ-  
sentium meditationum, ut si quis quædam  
bona quidem, sed disparata describeret  
vel legeret. 4. Inversio ordinis Exercitio-  
rum. 5. Neglectus bonorum propositio-  
rum ipso tempore exercitiorum. 6. Si post  
exercitia non removeantur impedimenta,  
ob quæ antea non perfectè vivebas: Ut  
sunt conversationes cum personis non spi-  
ritualibus. 7. Si ob humanum respectum,  
pudorem vel metum irrisionis statim post  
exercitia non vitas transgressiones regula-  
rum, aliâsve levitates. 8. Si post exercitia,  
meditationes negligenter instituas, & con-  
ceptum ignem non foveas novis lignis in-  
dies adjectis, ut faciendum monebat S.  
Macarius. 9. Lectio Librorum spiritualiū  
non magnopere affectui movendo servien-  
tium. 10. Neglectus conversationis cum  
viris magis spiritualibus. 11. Indevotus SS.  
Eucharistiæ usus. 12. Neglecta renovatio  
propositorum in exercitiis factorum. Hæc  
si vitaveris, in concepto fervore diu perse-  
veraveris, quod aliâs est impossibile.



PRAXIS XIV.

*Recollektionis triduanæ ante votorum renovationem tempore hyemali.*

**I**n hac recollektione pictorem age, qui in imagine vetusta, prius pulveres & fuliginem detergit, ac deinde coloribus imaginem renovat & illustrat. *Sua quisq; vita pictor est*, ait S. Gregorius, S. Basili Frater ep. 1. de perf. *Artifex hujus operis est voluntas, colores sunt virtutes, exemplar Christus.* Vetustas autem abstergenda, Authore D. Bernardo triplex est sicut & novitas, *cordis, oris, operis.* Serm. 30. parv.

*Dies I. Recollektionis semestris. Renovatio cordis.*

**S***I non esset vetustas in corde*, ait S. Bernardus, *non diceret Apostolus: Renovamini spiritu mentis vestrae, & induite novum hominem, qui secundum Deum creatus est in sanctitate & justitia veritatis.* Renovatio autem spiritus, includit renovationem intellectus & voluntatis.

I. Vetustas intellectus triplex est. 1. Oblivio Dei; unde oritur distractio & vaga libertas inutilia cogitandi. Atque hinc tot

tot evagationes in oratione & meditatione. Aspice Christum velut prototypon, vide quid cogitet, quàm cum Patre conjunctus. Et ejus exemplo renova intellectum per exercitium assiduæ Dei præsentia, instituendo examen particulare, ut assuescas, & habitum contrahas. Sic purè Deum adorabis, tota orabis mente, & per diem Deum præsentem circumferes, sanctis desideriis animum pasces, lætitia ejus infinità exultabis, in omnipotentia ejus confides, cum sapientiâ ejus conversaberis, Bonitatem summam in te existentem diliges, meditationem, sacrum, examen perfectè institues. Hæc ergò renovatio necessaria est ad spiritum & devotionem conservandam, ex cujus negligentia omnes propè culpæ & imperfectiones ac tota animi dissolutio, originem ducit. 2. Altera vetustas consistit in falsa rerum opinione, id est, in æstimatione bonorum sæculi; unde maximè spiritus vigor debilitatur. Hæc autem falsa opinio per veram opinionem & æstimationem profectus nostri rerumq; omnium spiritualium renovatur. Inspice ideam nobilissimam, **Chri-**

Christum in stabulo Bethlemitico tibi monstratum, & vide quomodo honorem, æstimationem, plausum, laudem, divitias, delicias velut stercora æstimet ac repudiet, omniâq; contraria eligat & amplectatur. Et solùm æstimet æterna, atq; ad hoc prototypon renova intellectum. 3. Vetustas consistit in sinistro de alienis rebus iudicio atq; hæc reformanda est per simplicem & bonam Fratrum nostrorum existimationem: Intuere Christum, quomodo æstimet & diligat Apostolos, Discipulos & omnes homines, quàm mitis, benignus, patiens &c.

II. Vetustas voluntatis seu affectûs triplex est. 1. Cor vetus instar maris desideriorum sæcularium fluctibus agitur, movetur, turbatur. Ut tranquilletur ac renovetur interiore mortificatione appetitûs tam concupiscibilis, quàm irascibilis hac enim cor redditur mansuetum, pacatum, secundum cor Dei. Scilicet abnegando sæcularia desideria & omnia, quæ mundus amat. Juxta Reg. II. Summarii. Inspice ergò Jesum in stabulo prototypon excellentissimum & vide quid desideret, quid

quid amet, quid eligat. Et imitare. 1. Abnega appetitû concupiscibilem, qui amat superflua, jucunda, sensibus grata. Ex quo sequetur paupertas, castitas, obedientia, pax, tranquillitas. 2. Abnega appetitum irascibilem ferendo patienter adversa, propriæ voluntati repugnantia, ardua superiorum jussa, delationes, humiliationes, pœnitentias publicas. Quarum rerum impatientia spiritûs fervori plurimùm nocet. Patientia è contra opus perfectum habet. Cor vetus, cor curvum est, instar mulieris Evangelicæ, ad terram terrenâque inclinatum, & ad se ipsum reflexum, ita ut vix queat sursum respicere. Ut renoves, & spiritum rectum obtineas, renova intentionem, quæ ex mortificatione interna quasi sponte oritur: qui enim de mundo nihil desiderat, facillè desideria sua ad Deum convertit: & qui Deum verè concupiscit; in omnibus rebus nil nisi Deum quærît, in quo intentionis puritas & rectitudo consistit. Inspice rursus Christum incarnatum & natum, & vide, quid in tanta humilitate quærat, nisi gloriam Patris. Et imitare: Quæcunque facitis in verbo & in ope-

opere, omnia in nomine D. N. J. C. facite ad Coloss. 3. & Rom. 1. Vide de intentione in *Instructione pravia* pag. 15. 3. Vetusitas est cor tepidum aut frigidum in amore Dei, in sui autem amore fervens & ardens instar Æthne, semper concupiscentiarum flammam evomens. Renova ardenti amore Dei, exemplo Christi. Quid mihi est in cælo, & à te quid volui super terram? Pl. 72.

*Dies II. Recollectionis.*  
*Renovatio oris & loquelæ.*

**S***I non esset vetustas in ore,* ait S. Bernardus, *non diceret Scriptura: Recedant vetera de ore vestro.* 1. Reg. 2. Et Apostolus ad Ephes. 4. *Omnis sermo malus ex ore vestro non procedat; sed si quis bonus ad adificationem fidei, ut det gratiam audientibus.* Neque erit difficile renovare linguam, modò antè cor sit renovatum; quemadmodum Horologii rotis bene ordinatis index sequitur & ex abundantia cordis os loquitur.

I. Remedium generale & compendiosissimū ad renovationem linguæ est silentium: Taciturnitas bene loquendi principium

pium est, ait S. Laurentius Justinianus. Qui verò nescit tacere, nescit loqui. Bis ad limam antequam ad linguam verba veniant, & considerandū. An, quis, quid, ubi? coram quibus, quomodo verba proferenda: in multiloquio autem, non datur locus & tempus considerandi; hinc præcipitania & innumerorū defectuum colluvies oritur: Aspice prototypon Jesum, in infantia & adolescentia silentē, licet admiranda proferre potuisset. Imitare, quia ut dixit S. Diadochus: Præclara res est silentium, & nihil aliud nisi mater sapientissimarum cogitationum. Religa ergò linguam tuam, ait S. Bernardus, si vis esse religiosus, quia sine linguæ religatione, religio vana est.

II. Si loquendum sit pro honore Dei & utilitate proximi: Recedant vetera de ore tuo. 1. Reg. 2. Vetera enim loquitur, ut exponit S. Gregorius, qui postpositis sanctæ Scripturæ eloquiis, sæcularibus verbis occupatur. Verè quidem, nam qui cælestia loquuntur, linguis loquuntur novis. Ideo addit idem Gregorius, cum tot nova habeamus, quæ loqui possumus, vetera loqui sine culpa nullatenus valemus. Recedat ita-

itaque duplex oris vetultas, ut ait S. Bernardus, Arrogantia & Derogatio. Ad arrogantiam spectat jaclantia de naturalibus donis, scientiis, laboribus, meritis. Laudet te os alienum non tuum: Proverb. 27. Quid habes quod non accepisti? Ad derogationem pertinet detractio, contumelia, susurratio, revelatio secreti, contemptus aliorum, mordacitas, dicacitas, contentio, murmuraciones, querelę. Recedant vetera hæc de ore tuo: & imitare Christum, loquentem de regno Dei, Act. 1. Non de regno mundi & sæcularibus.

*Dies III. Recollectionis.  
Renovatio operis.*

**D**E vetustate operis, seu corporis ait S. Bernardus mentionem fieri ab Apostolo Rom. 6. *Sicut exhibuistis membra vestra servire immunditię & iniquitati ad iniquitatem: & de ejus renovatione: Ita nunc exhibete membra vestra servire justitię in sanctificationem.* Notanda, ait S. Anselmus comparatio, sicut, ita. Conflitens in quatuor.

I. Ope-

I. Opera bona facienda promptè & hilariter. Ut sicut jucundè servivisti iniquitati; sic nunc alacriter sevito justitię. Quid est, ait S. Anselmus sicut illud, ita & hoc? nisi quemadmodum ad peccandum nullus vos cogebat timor, sed ipsius libido voluptasq; peccati; sic ad justè vivendum non vos supplicii metus urgeat, sed delectatio ducat, charitasq; justitię. Hilarem enim datorem diligit Deus.

II. Bona opera fortiter exequenda. Si, inquit Anselmus, nequaquam amplius potestis, saltem tales estote in fructu bonorum operum, quales fuistis dudum in actione vitiorum: ne debiliores vos habeat sancta libertas, quos in carne validos habuit usus terranę voluptatis. Pudor est servivisse majore fortitudine Dæmoni & proprię voluntati, quàm nunc Christo. Quid non agit lascivus adolescens? quid Mercatores? quid aulici? quid milites? pro mundo? quid verò tu pro Deo & cælo?

III. Bona opera facienda bene exactè. *Vide supra Instructionem praviam pag. 3.*

IV. Cupidissimè Deo placere debemus bonis operibus. Sicut exhibuistis membra

ve-

vestra iniquitati ad iniquitatem, ita exhibete ea Deo ad sanctificationem.

Renovetur ergo cor nostrum, ait Mellissius Doctor l. c. à carnalibus & secularibus desideriis & exclusis illis introducatur amor Dei, & amor patria cœlestis. Recedant ab ore nostro arrogantia & derogatio: & succedant pro iis vera peccatorum nostrorum confessio & bona de proximis estimatio. Pro flagitiis & facinoribus qua vetustas est corporis, assumatur continentia & innocentia; ut scilicet contrariis virtutibus contraria vitia depellantur. Hanc supra dictam renovationem facit Christus habitans in nobis per fidem, sicut ipse ait: Ecce nova facit omnia. Isaïa 43. Habitans igitur in corde, est sapientia, habitans in ore veritas, habitans in corpore iustitia. Ita S. Bernardus.

### PRAXIS XV.

*Recollectionis triduanæ ante renovationem votorum in estate.*

Cœpimus pictorem agere, fuliginem pulveresque ab imagine cordis, oris, & operis abstergendo, nunc colores vi vir-

virtutum applicandi: colores enim virtutes sunt, ut ait S. Gregorius, artifex seu pictor voluntas, exemplar Christus. Quatuor verò colores potissimum necessarii sunt, in vestitu Sacerdotali expressi, scilicet Hyacinthinus, byssinus seu candidus, purpureus & coccineus.

### Dias I. Recollectionis.

*Renovatio voti paupertatis.*

Color primus hyacinthinus seu caruleus, color cœlestis est & paupertatem terrena conculcantem amore cœlestium designat. Hic color si fuligine obductus; ad Christi exemplar sic renovabis.

I. Dominio rerum temporalium, quàm primùm licet propter Christum renuntia, eoque abdicato, nihil unquam des vel accipias, etiam mutuo sine necessitate & expressa facultate, etiam si sit unum filum aut acicula. Hoc valde S. Ignatius nostris inculcavit: atq; hinc pia consuetudo manavit in primitiva Societate, à S. P. nostro commendata, ut nostri in Confessione primo loco dicerent, num accepissent aliquid necne absque facultate.

II. Res, quarum usus omnino necessarius, habes, quàm potes viliores & in substantia & in modo: v. g. vestem è panno viliore, breviarium non deauratum, rosarium ligneum, reliquiarium non argenteum. P. B. Alvarez nunquam vestem novam induit, nec calceos nisi aliquamdiu portatos. Idem ille uti & Salmeron ac Bobadilla conciones tanti momenti scribebant in operculis literarum.

III. Superflua nec petas, nec ultro oblata admittas: proinde in supellectile tua nihil sit superfluum: melius est enim minùs egerre, quàm plus habere juxta S. Augustinum: Itaque non habeas duos cultros, non duas clepsydras æquales, non vestes non chirothecas duplices, non duo breviana, pileos, pectines, tibialia, candelabra, umbracula, sedilia, pulvinaria, scamna: non speculum, non cingulum bis contra morem antiquorù circumductum; verbo nihil non necessarium, nihil duplicatum retineas in cubiculo, sed vel ad P. Ministrum, vel Vestiarium referas.

IV. Libros non plures habeas, quàm pro usu ordinario opus sit. S. Ignatius Con-

Constitutiones scribens, præter novum Testamentum & Thomam de Kempis nihil in cubiculo habuit.

V. Iter facturus, nunquam compares ea, quæ ne quidem sæculares debiles nisi rarissimi comparare solent, v. g. vinum, condimenta, mala citrea. In Hospitio autem non pluribus & melioribus cibis mensam instruas, quàm domi faceres, exemplo S. Xaverii.

VI. Ita utaris rebus omnibus, ut ipso earum usu appareat non tuas esse sed Christi. Hinc vestes mundas serves, libros bene claudas, nihil perdas, omnia bene custodias.

VII. Etiam res viles non nimio affectu retineas sed si auferantur, maculentur destruantur, non plus turberis, quàm si alteri id accidisset.

VIII. In usu rerum quàm paucissimis contentus esto, & multas ne consumas. Medicinas sine necessitate non adhibeas, nec pretiosiores, quàm paupertas religiosa permittat. Candelam, dum exis ad longiusculam mansionem extra cubiculum, ardentem ne relinquant, nec eo tempore quo

eâ carere posses, utaris, v.g. tempore meditationis vel examinis.

IX. Si necessaria petenda sint, more pauperum, non tanquam debita, sed velut eleemosynam humiliter pete.

X. Res, quibus cum licentia usus es, si tales sint, quibus etiam alii indigeant, restitue, vel repone sine mora.

XI. Non habeas pecuniam depositam vel apud alium, penes quem ejus dominium remaneat: vel apud te, ita ut dominium spectet ad alium, ac tu deinde obtentâ Superioris facultate eâ utaris: hanc enim facultatem irritam esse declaravit P. Vincentius Carrafa Generalis, & Congregatio 12. confirmavit. Imò non facile habeas depositum apud ipsum Domûs Superiorem, ne fiduciam aliquam in pecunia habeas: nam id rarò tantum, justasque ob causas junioribus præsertim permitendum censuit Congregatio 12. Dec. 42.

XII. Necessariis quoque rebus te indignum reputes: & si hæc quandoq; defuerint, patienter & libenter feras, sine querelis & murmurationibus: nec de vilitate queraris, imò si optio detur, semper vilio-

ra elige, ut cubiculum, lectum, vestem &c. juxta regulas bonæ electionis à S. P. N. traditas. P. Balthasar Alvarez dicere solitus est: *Nemo sibi illustrationibus & consolationibus blandiatur, nisi hilari vultu bolum sanctæ paupertatis Evangelicæ deglutiat, ejusq; comites amet, famem, sitim, frigus, penuriam, contemptum.* Hæc si in praxin deduxeris: optimè votum paupertatis renovabis, & hyacinthinum colorem contemptûs rerum mundanarum animæ tuæ illines, non sine amœno, coram Christo rege tuo paupere, decore & gratiâ.

*Dies II. Recollectionis.**Renovatio voti castitatis.*

**A**lter color, animam Religiosi mirè exornans est byssinus seu candidus, castitatis angelicæ symbolum; qualis in Christo resplenduit, absque ullo culpæ aut imperfectionis vestigio aut ardore: ad hanc angelicam castitatem, corporis & animæ munditiem, eniti nos cupit S. Ignatius 6. p. Const. c. 1.

I. Itaque da operam, ut nunquam veniale peccatum contra castitatem delibere-

*Renovatio voti castitatis.*  
 ratè committas. Quod cum divina gratia  
 & diligenti custodia cogitationum & sen-  
 suum assequeris. *Serva legem meam ut pu-*  
*pillam oculi.* Prov. 7. Maximè in materia  
 castitatis, quæ est pupilla Societatis no-  
 stræ.

II. Cave etiam ea, quæ ex sensuali amo-  
 re proficiscuntur ut loqui, agere, conver-  
 sari libentiùs cum adolescentibus diviti-  
 bus, comptulis & speciosis, quàm cum  
 aliis. Reprimenda hæc propensio & avi-  
 ditas.


III. Nunquam, quantum fieri potest,  
 etiam in necessitate tangas immediatè eas  
 corporis, partes quas pudor tegit. *Grata est*  
*Deo honestas, & Angelorum amica,* ait S.  
 Bernardus. *Omnia vestra honestè fiant.*  
 Monet Apostolus 1. Cor. 4. Hinc in se-  
 cretissimis etiam locis, sit tibi tui ipsius re-  
 verentia: nam ut dixit Cato Censorius:  
*Unusquisq; se maximè revereri debet, quia*  
*nunquam est sine seipso.* Tactum etiam al-  
 terius, licet nihil indecentiæ habeat, si val-  
 de necessarius non sit, vites, & ab omni  
 effeminato vocis sono, incesu, gestu, in-  
 intuitu, abhorreas. Examina quoque, num

majorem devotionem & affectum erga  
 Virgines sanctas, quàm alios Sanctos, er-  
 ga imagines elegantes, quàm juvenitas  
 habeas: solet enim & hîc se miscere amor  
 naturalis & sensualis.

IV. Attende, ut conversatio tua cum fœ-  
 minis devotis, & pœnitentibus, licet san-  
 ctis, quarum consuetudine proficere te  
 sentis, aut quas instruis, sit purissima, ne  
 quid humanum, etsi non omnino fœdum,  
 se misceat. Præsentia corporalis Christi  
 obstabat Apostolis, ne acciperent Spiri-  
 tum S. quantò magis &c. *Cuilibet mulieris*  
*suspectus sit quilibet vir, licet sanctus habeat-*  
*tur: & cuilibet viro quavis mulier, licet*  
*sancta & perfecta reputetur,* ait P. Jacobus  
 Alvarez c. 9. de virt.

V. Omni custodia custodi os tuum, ne  
 de rebus fœdis etiam naturalibus loqua-  
 tur; etiam indirectè, te dè & metaphoricè.  
 Multò minus inhonestum verbū unquam  
 proferas; aut patienter audias.

VI. Dum ad dormiendum te compo-  
 nis, nulla pars corporis nuda compareat,  
 quæ interdiu vestitur; *Ne* ut ait Cassianus  
 coll. 12. c. 8. *tale aliquid inevitabilis ille*



*Dies II. Recollectionis*

oculus deprehendat, quod ab humanis aspectibus velit esse celatum. B. Virgo Romæ noctu liquore cœlesti asperfit PP. Prædicatores comitantibus S. Catharina & S. Cæcilia: unum verò malè reatum præterit. In Chronico illorum.

VII. Indusium ita corpori applices, ut si casu operimentum aufererur, nihil indecens appareret. R. P. Henricus Garnettus, Martyr in Anglia suspensus longiusculum indusium antè sic aptaverat corpori, ut exutus in ultimo supplicio vestibus, decenter comparuerit.

VIII. Ita te exuas & induas, quomodo id faceres præsentem viro magnæ authoritatis. Situs quoq; jacentis in lecto talis sit, qualem in præsentia virorum gravium non erubesceres. R. P. de Ponte, unguis præsecturus, ita pedem reliquum contegebat, ut soli paterent pedis digiti.

IX. Ad perfectionem honestatis & puritatis pertinet quoque exterior munditia, tum in vestibus externis, tum internis, tum in membris corporis tui, ut talem te exhibeas, qualem Christus in humanitate sua. Cavendè itaque sordes & squalor, & ne

*Dies III. Recollectionis*

corpus, aut cubiculum aut vestimenta ingratum odorem diffundant. Cavendum quoque à nimio & calidiorè vino, à nimiiis aromatibus, aliisque flatulentis libidinem irritantibus; sed ut monet S. Albertus M. in paradiso c. 6, adhibenda victûs parcitas, cultûs vilitas, corporis incommoditas, & fugienda locus & tempus castitatis periculo opportunum. Atque ita candidissimus & nitidissimus castitatis Angelicæ color illibatus in anima resplendet.

*Dies III. Recollectionis*

*Renovatio voti obedientiæ.*

**T**ertius color imagini animæ in renovatione illinendus est color purpureus sive sanguineus, symbolum obedientiæ ad labores, cruce & ipsam mortem pro Christo obeundam anhelantis. Hic si detritus aut obfuscatu sit, renova.

I. Examina, num proprietates veræ obedientiæ, quas in Tirocinio didicisti, & S. P. N. in aurea epistolâ expressit, etiamnum in te reperiantur. Et quidem I. num sic obedientia exacta, ita, ut omnia injuncta expleas, nullam circumstantiam aut partem omittas.

Universidad de Deu  
76

II. Dispice num obedientia tua sit simplex: ita ut simpliciter ad literam obedias, voluntatem Superioris ad tuam non flexas, nec verba ejus ad gustum tuum interpreteris. Superior errare potest jubendo, non tu obediendo, quia semper facis quod vult Deus, qui est sapientia infinita.

III. Attende, utrum obedientia tua sit prompta & celeris, ita ut mandata non differas: sed ad sonum, ad literam imperfectam obedias, non tergiverferis, cuncteris &c. P. Bernardus Colnago Panormo Sortinum missus, intra medię horę spatium itineri se accinxit L. 2. vitę c. 16.

IV. Considera, num obedientia tua sit humilis, ita ut etiam subordinatis officialibus, etiam te indocioribus & junioribus æquę ac ipsi Provinciali obedias, sicut S. Borgia Fratri Marco.

V. Expende, num obedientia tua sit indifferens, æquę prompta ad vilia & abjecta, quàm ad speciosa & honorata, æquę ad pagum, ac ad nobile oppidum.

VI. Vide, utrum sit fortis, parata & prompta ad ardua, ad pericula, ad missiones longinquas, ad Indias.

VII. Deniq; an sit cœca, Nihil examinans sicut in articulis fidei intellectum penitus submittens. Regi te sinas ut cadaver, ut baculus senis; ut jumentum factus sum apud te: Si Seraphinus de cœlo tibi aliquid mandaret, examinare deberes, num fortè fraus lateret: at Superiore mandante certus & securus es. Est enim domesticum oraculum, & securum, non secus ac si à Spiritu S. ederetur.

VIII. Non tantum actu Superiores, verum etiam officio fundos peculiari affectu & honore prosequere, exemplo S. Borgię, ob reverentiam Jesu Christi cujus loco præerant servis Dei. Dum sedes, accedente Superiore, assurge, nec stantem sedens alloquere, Dei enim personam gerit. Etiam circa alios ordinata, licet tibi minus benè ordinata videantur, approba. Petiturus exeundi licentiam ne venias pallio indutus. S. Ignatius, quendam deposito pallio, redire jussit. Nec per Socium minoris conditionis veniam exeundi pete; id enim non decet.

IX. Conare deniq; perfectè obedire in omnibus, magnis & parvis, facilibus & arduis,

duis, abjectis & honoratis. In domo Dei nullum est officium vile, aiebat P. Balthasar Alvarez. Et in hoc ego pono felicitatem meam, quod Deus velit operâ meâ uti? & quomodo id ego sum promeritus, ut ipse velit uti obsequio meo? Et quam excellentiam habet concionandi munus, si Deus id nolit? aut quam viliratem habet ollas scutellâsve lavare, si id Deus à nobis desiderat? Hæc in corde tuo pinges, & purpurâ præstantissimâ, omni regiâ, præstantiore illud exornaveris.

*Dies IV. seu dies ipsa.*

*Renovationis votorum.*

**Q**uartus color, quo cordis tui effigies renovanda est, est coccineus, qui est color accensus, tanquam ignis, symbolum charitatis, & si bis tinctus fuerit, dilectionem Dei & proximi repræsentabit. Hoc igitur die, quo te per vota quasi de novo in amoris holocaustum consecrasti, amorem renova hac methodo.

I. Renova amorem erga Deum; considerando infinitam ejus excellentiam, Bonitatem, beneficia maxima, innumera

com-

communis, propria; naturalia, supernaturalia, præterita, præsentia & futura.

II. Renova amorem erga Superiores, considerando eos esse locum tenentes Dei, Vicarios Christi, medicos animarum, tanquam Parentes spirituales.

III. Renova amorem erga Religionem, quam tanto fervore initio ambivisti, quæ est schola perfectionis, tessera prædestinationis, artha salutis &c.

IV. Renova amorem erga Domesticos & æquales, tanquam Domesticos Dei, & Filios Charissimos, Fratres & membra Christi; Cohæredes regni cœlestis, amicos & sponas Spiritus sancti; Jesu sanguine redemptos &c.

V. Renova amorem erga animam tuam, tanquam res omnes sublunares excellentiâ superantem, tot Spiritus S. donis & gratiis ornatam, tot mediis instructam, sic à Deo dilectam, à Christo quasitam; & vide utrum tanto animam profecutus sis amore, quanto corpus? & nonne anima longè plus est? Renovare quoq; licet amorem erga inimicos, vel potius amicos, quia præbent tot ansas meritorum. Similiter reno-

vare poteris amorem erga Regulas, tanquam gradus totidem Scalę Jacob ad perfectionis apicem & cælum deducentes.

VI. Hac ratione imaginem Christo Domino simillimam exprimes, in quo mirificè tota vita, à cunis ad crucem eluxit Hyacinthus paupertatis, Byssus retorta, ideòque infracta & inviolata castitatis; Purpura obedientię & patientię in summis laboribus & doloribus usque ad mortem. Denique coccus bis tinctus ardentissimę charitatis erga Deum & proximum. Quę omnia, ut pulchriora redderet aureo divinitatis colore, valorem infinitum addeute illustravit.

### PRAXIS XVI.

#### *Reddendi rationem Conscientię.*

**N**ota I. Rationem conscientię à S. P. N. præscriptam esse unum ex substantialibus & præstantissimis, & maximè necessariis mediis ad bonum Regimen & conservationem Societatis.

Nota II. Discrimen inter confessionem generalem & rationem conscientię est, primò in fine diverso, illa enim tendit ad

cla-

clariorem cognitionem & expiationem peccatorũ; hæc aperit defectus, propensiones, tentationes, virtutes ad meliorem directionem. Deinde discrimen est in modo, quòd in confessione peccata & etiam peccatorum circumstantię aperiendę in manifestatione autem hac satis est dicere, quę integrè profectum seu defectum animę & statum interioris hominis manifestant.

Nota III. Licet S. Fundator liberum reliquerit sub sigillo confessionis vel extra illud conscientiam manifestare; laudabile tamen est extra confessionem reddere, ut Superiores liberius & utiliùs dirigant & gubernent ad majus Dei obsequium.

Nota IV. Modum manifestandi esse in examine cap. 4. §. 4. à S. P. N. præscriptum, ut cum magna humilitate, puritate & charitate fiat. Tria enim impediunt hanc manifestationem, Superbia, profunditas, seu defectus candoris & charitatis; inanis timor incommodi secuturi. De quibus P. Claudius in Industria, c. 9. quibus opponuntur humilitas, puritas, charitas. Neque enim Judici, sed Patri datur ratio à quo consilium, auxilium & solatium

d 5

tium

32 *Puncta, de quibus redditur*  
tium redditur : & sine quo Diabolus, qui  
est spiritus tenebrarū, ostium apertum re-  
perit, animam suis persuasionibus irre-  
tiendi, & in tentationes gravissimas indu-  
cendi, à quibus periculis sincera manife-  
statio præservat, & liberat.

*Nota V.* Tempus, quo ratio conscien-  
tiæ reddi solet, est, 1. Initio ingressus So-  
cietatis de tota vita. 2. Sexto quoq; mense  
ab ultima inchoando. Reg. 4. Summ. 3.  
Absolutis studiis initio tertii anni ab eo  
tempore, quo missi ad studia, vel de tota  
vita. c. 4. Exam. §. 39. 4. Circiter 30.  
dies ante professionem & ultima vota l. c.  
§. 38. 5. Professi & formati singulis annis  
c. 4 §. 40. Et quoties præterea Superio-  
ri visum fuerit. 6. p. Const. c. 1. §. 2.

### PUNCTA

*De quibus reddenda ratio conscientia.*

*Seu eorum explicatio ex P.*

*Lancicio.*

**A**D I. Punctum, aperi, an sis conten-  
tus vocatione, officio, loco, gradu,  
vel an aliquid aliud sit, quod te malè con-  
tinentium reddat.

Ad

### *Ratio conscientia.*

83

*Ad II.* Dicendum 1. qui servata vota;  
& lapsus indicandi. P. Mutius Anno 1629.  
rescripsit etiam cogitationes mortales sal-  
tem in genere aperiendas. 2. An & qualem  
molestiam in eorum observatione sentias,  
vel facilitatem in iis, quæ præscripta sunt,  
vel per regulas, vel per ordinationes Supe-  
riorum, circa scholas, disputationes, con-  
ciones, catechismos, confessiones audien-  
das & similia. 3. Quibus potissimum vir-  
tutibus intentus sis, & quibus modis: qua  
in re duo dicenda: Primum, an verè in-  
cumbamus virtutibus solidis, quinque præ-  
sertim, puritati conscientia, humilitati,  
patientia, obedientia, charitati erga pro-  
ximos. Quod cognoscitur ex occasionibus  
ultra oblati: si dum contemnimur, non  
ægrè ferimus, si dum aliquid patimur, non  
irascimur. Si dum imperatur aliquid amori  
proprio ingratum, exequimur sine amari-  
tudine; si dum Frater aliquid à nobis pe-  
tit, quod possimus præstare sine violatione  
divinae vel humanae Legis, libenter facimus:  
si peccata cavemus. Secundo id cognosci  
potest ex occasionibus quaesitis, si datâ  
opera quaerimus materiam & occasionem

cx-

*Explicantur dicta puncta*  
 exercendi actus harum virtutum. Secundum quod manifestandum est, an in his virtutibus profecerimus, hoc est, an peccata pauciora committamus quàm antè sex menses vel annum; an simus magis humiles, magis patientes, magis obediētes & charitativi, quàm ante sex menses vel annum.

*Ad III.* Dicenda sunt quatuor 1. Perturbationes seu amaritudines, ut sunt diversè à tentationibus; multi enim inquietudinem sentiunt & non tentantur: ubi causæ perturbationum aperiendæ sunt, & quàm diu durent, & quàm sint vehementes. 2. Tentationes molestæ aperiendæ sunt, quæ & vehementer concutiunt hominem & sunt periculosæ, uti sunt contra fidem, contra obedientiam, in exequendis quæ iussa sunt, contra vocationem, incitantes ad deserendam Societatem; contra modum gubernandi vel procedendi Superiorum, contra Constitutiones. 3. Quæ facilitate vel difficultate resistat tentationibus & perturbationibus, & per quæ media. 4. Ad quæ peccata sit magis propensus, non quomodocunque; sed cum quali

im-

inclinacione & acri incitacione, sive ex natura sive ex pravis peccatorum habitibus contractis in sæculo, orta: quod potissimum manifestandum est, dum in occasionibus missionum, vel visitationibus sceminarum ad periculum incontinentiæ adducunt.

*Nota hic non satis esse propensiones & tentationes aperire; sed ipsa etiam peccata explicanda esse (quod innuitur illis verbis, re nullâ, quâ Dominum offenderint, celatâ) intellige genera singulorum, id est, ut in genere tantum lapsus indicentur: v. g. succubui in hoc, illòve raro, aut sæpe. P. Claudius & P. Mutius sæpe ita responderunt. Anno 1584. & 1606. Quod etiam casus reservatus sit aperiendus, licet quis sit ab eo absolutus, rescripsit P. Mutius Anno 1607. Sufficit autem hoc fieri Superiori mediato, ut idem Anno 1617. resolvit.*

*Ad IV.* Punctum verba ad literam accipienda.

*Ad V.* Duo manifestanda. 1. Quomodo ejus iudicio arrideat Societas, & media, quibus utitur. 2. Quem Zelum in se sentiat, quod cognoscet ex his. 1. Si sentiat

tia

riat in se ardens desiderium abstrahendi homines à peccatis & domi & per missiones, desiderando audire multas confessiones, præsertim eorum, qui sunt majoribus peccatis onusti, ut sunt ordinariè viri maturi potiùs, quàm faming aut pueri. 2. Si dum audit offensas Dei, sentit in se dolorem sensibilem de offenso Deo: ob quandam commiserationem, quod tanta Majestas tam indignè tractetur. 3. Si ardentè cupit, ne Deus etiam venialibus peccatis offendatur. 4. Si eo fine se sentit ad conversandum cum aliis impelli, ut per colloquia, eos à peccatis avellat, & in bono promoveat. 5. Si habeat magnum desiderium ad doctrinam christianam tradendam. 6. Si magis propendat ad audiendas confessiones rudium, qui minùs divina nõrunt, & magis ope nostra egent.

In VI. & VII. puncto verba sunt clara.

*Ad VIII.* Fructus ex rebus nominatis solent esse hi. Diminutio peccatorum; si non labamur in tam gravia, ut antea: item si in levia rariùs labamur: si sentiamus majorem peccati horrorem, quàm antea: si res præscriptas à Superioribus & regulis me-

liùs

liùs faciamus, quàm antea: si minùs perturbemur adversitatibus, quàm antea: si eas nunc optemus magis quàm antea: si nunc magis placet vocatio ad religionem, quàm antea: si aversiones erga aliquos jam cessarint: si tentationibus acerbis minùs nunc infestemur, & sentiamus majorem vim ad iis resistendum: si dictamina aliqua malè contra Superiores vel Institutum fomentata, nunc cognitâ eorum fallaciâ, ejecta sint ex animo: si major indifferentia ad loca, officia, gradus, personas nunc habeatur: si major promptitudo & facilitas ad obediendum sine ulla exceptione sentiat: si in conversando nunc major modestia, gravitas & ædificatio, & verè sacerdotali statui & religioso conveniens agendi modus & cum domesticis & cum externis servetur: si magis sincerè & confidentiùs nunc agatur quàm antea cum Superioribus & Patribus spiritualibus: si majus desiderium nunc sit orandi diutiùs temporibus permissis ab obedientia: si major & facilior devotio sentiat in rebus divini cultûs: si aliqua periculosa familiaritas cum aliquo murmuratore, vel aliter in-

in-

ad de D. *Explicantur dicta puncta,*  
inescane affectum nostrum, rescissa sit, vel  
saltem imminuta.

*Ad IX.* Punctum. 1. non tam eadem puncta repetenda sunt, quàm an in his plus profecerimus, quàm ante sex menses vel annu. Hærent hic aliqui, dubitantq; num profecerint, vel defecerint; at ex prædictis ad punctum octavum facile patebit dubii resolutio. Et si quis conetur opera quotidiana exactè obire, ordinariè proficit. 2. An ardens desiderium sit perfectionis, & an conjunctum cum adhibitione mediorum & qualium & à quanto tempore.

*Ad X.* Dicendum quæ regulæ violentur à te sapius, & quâ occasione, ut ad eam tollendam te Superior eam sciens, adjuvare queat: qualis est cohabitatio in eodem cubiculo, comitari aliquem ad catechismum &c.

*Ad XI.* Declaranda sunt 1. Mortificationes sensuum & passionum, habituúmque pravorum. 2. Opera pœnosa, eorum numerus & tempus. 3. Opera humilitatis. 4. Præparatio ad injurias in eo sita est, si quis eo sine meditetur passionem & injurias Christi, ut imitetur & desideret eas: si in  
mi-

minoribus patienter ferendis, se disponat ad graviores; si pressus aliquâ molestiâ, vel parvâ injuriâ, propter illam Deum non offendat: si de nulla adversitate coram aliis conqueratur: si nec internam propter talia admittat perturbationem: si non querat levamen adversitatis, vel crucis: si gaudeat dum aliquid patitur; præsertim absq; culpa sua vel causa: si crucum auctores & cooperatores amare studeat, beneficiumque afficiat; ac deniq; si ad declinandum cruces, molestias, adversitates, non subterfugiat illa loca, personas, officia, ex quibus cruces oriuntur. Hæc sunt certissima signa profectus in an ore crucis, optimæque præparatio. Atque ex his, an & quantum tibi sit crucis Christi desiderium facile perspexeris.

*Ad XII.* Manifestanda sunt quinque. 1. An converferis cum aliquo, qui tibi sit occasio violandi regulas. 2. An converferis cum aliquo instillante tibi prava dictamina vel consilia contra vocationem, aut contra Superiores vel Magistros, aut contra charitatem vel perfectum vivendi modum, ad laxitatem inclinando. 3. An  
vi-

videris aliquid scandalosum in socio aliquo, quod sit Superiori manifestandum, sive in missione, sive in itinere; sive domi, sive foris. 4. An audiveris aliquid, quod scire expediat Superiorem, ut bono communi provideat, aut periculo alicujus. 5. An amicitiam particularem foveas cum aliquo, & quam ob causam.

*Ad XIII.* Etsi licet, juxta declarationem P. Claudii Anno 1584. 25. Septembris scriptam, non indicare Superiori, si ab eo aversus sis; sed dicere in genere: sum aversus à quibusdam Superioribus; longè tamen utiliùs, perfectiùsque est, sincerè & modestè aperire ea, ob quæ à Superiore ipso, cui reddis conscientie rationem, offensus es, & quæ tibi in eo displicent: ita enim faciliùs ab amaritudine animi liberaberis: nam vel ille ostendit se justè id fecisse, quod fecit; & unde tu concepisti aversionem, & sic eam abiget; vel condescendendo fragilitati tuæ amovebit causam, vel occasionem tuæ perturbationis, si amoveri queat, vel alio modo te contentum, quietumque reddet.

*Ad XIV.* Hoc ultimū caput non indiget explanatione, quia verba sunt clara. Pra-

*Instituendi recollectionem hebdomadariam & menstruam.*

**N**ota I. Recollectio Hebdomadaria brevior est & institui potest, vel die Sabbatino, vel Dominico, in eaq; discutitur profectus examinis particularis, præfens hebdomas cum præterita contentur. Deinde examinatur, quæ te gesseris erga Deum in charitate & devotionis exercitiis: erga Superiores quoad charitatem & benevolentiam: erga teipsum quoad temperantiam, humilitatem, patientiam, resignationem, & operum ordinariorum perfectionem. Deniq; excitatur dolor de defectibus; cum emendationis proposito & petitione gratiæ.

*Nota II.* Recollectio Menstrua paulò prolixior est, & plusculum temporis requirit: ideòq; institui potest ultimo aut primo die mensis, vel primo Dominico aut festivo die minùs impedito: atque hæc ante eam præmittuntur 1. Pridie vel ipso die recollectionis assumenda materia aliqua recollectioni aut necessitati spirituali accommodata: v.g. de stimulis proficien-

92  
Universidad de De

*Recolleſio menſtrua.*

di. de breuitate & pretio temporis, de æternitate, de beneficiis diuinis, de virtutibus & vitiis, de indultiis cavendi peccata, & quævis alia meditatio facilè huc trahi poteſt. 2. Lectio aliqua aut conſideratio renovationi ſpiritus apta, ut de modo ferventer progrediendi in via perfectionis, ejuſque mediis efficacibus ac motivis. 3. Ante & poſt lynaxin ſacram ferventiùs inſtitutam deſideria Chriſto offerenda; gratiæque & benedictio enixè petenda.

*Nota III.* Ut cum fructu majore hæc recolleſio fiat; per modum meditationis vel conſiderationis, ejus finis ſeridè expendendus; qui eſt 1. Continuus progreſſus in triplici via perfectionis, ſecurior migratio ex hac vita, & major gloria in altera. 2. Major proximorum ædificatio, incrementum gratiæ & gloriæ eorundem. 3. Major inde emergens Dei gloria. Expendi quoq; poteſt recolleſionis hujus dignitas ob fines adè excellentes: neceſſitas ob fragilitatem noſtram ſemper deorſum vergentem; utilitas & ſuavitas ob fructus copioſos ſerenitatis conſcientiæ, gratiæ in vita, ſolatii in morte, lætitiæ & gloriæ in æter-

*Præſtanda in ipſa recolleſione.*

æternitate. Deniq; modus adè facilis, qui ſine temporis diſpendio, & tanto ſpiritus compendio inſtituitur: ſimulq; opus aliquod humilitatis, pœnitentiæ ac devotionis præmittitur.

*Præſtanda in ipſa recolleſione.*

**I.** Expende quem menſe elapſo præſentum facere debueris, tanto Dei amore, beneficiisq; præventus; quem verò feceris, ac 1. Qui te geſſeris erga Deum; utrùm magis eum diligas, quàm præterito menſe, majore reverentia in ejus præſentia ambules, in omni actione, converſatione, recreatione. 2. Num majore pietate, devotione, accuratione & fervore obiveris ſacrum, meditationem, officium, preces, aliæque exercitia. 3. Quomodo creveris in proſectùs deſiderio, in fervore & reſignatione. Si defectus fuerit, contritionem elice, melioraq; propone.

**II.** Expende, qui te menſe elapſo geſſeris cum proximo tuo, cum collegis & externis, etiam cum illis, à quibus averſionem ſentis, vel offenſus es; num eos ſincero & dulci amore proſequaris, eumque ore, vultu, ſigno & re ipſa demonſtraris, amice

amicè illis alloquendo, consolando, compatiendo, opera charitatis, velut ipsi Christus, exhibendo; bene semper de illis loquendo, defectus excusando, bona eorum laudando.

III. Expende, quâ ratione te habueris erga Superiores; num præstiteris iis 1. debitum amorem & honorem. 2. Promptam obedientiam absque excusatione. 3. Resignationem ad omnia instar baculi in manu senis.

IV. Expende, quomodò curam gesseris tibi commissorum, discipulorum, Sodalium pœnitentium: exiget enim Deus à te rationem, quâ eos pietate & literis instruxeris, quâ ad observationem præceptorum divinorum & Ecclesiæ excitaveris, salutis impedimenta & peccandi occasiones removeris: omniâque melius mense præsentis, quàm elapso præstiteris.

V. Expende & inspice teipsum, num melior sis in præsentis, quàm mense præterito. 1. Quoad diminutionem peccatorum in numero, & gravitate. Unico id intuitu videbis, si in tabella menses duodecim lineis totidem distinxeris, atque in ea lapsus exa-

examinis particularis, aliòque notabiliores, vel indies, vel saltem in fine hebdomadis annotaveris. 2. Quoad passionum refractionem. 3. Quoad modum bene faciendi opera ordinaria. 4. Quoad fervorem in bene operando. 5. Quoad minorem fugam adversitatum, & sensum eorum. 6. Quoad magis proficendi desiderium. 7. Quoad observationem regularium. 8. Quoad modestiam exteriorem, in vultu, verbis, vestitu, conversatione. 9. Denique quoad curam corporis, & temperantiam in victu, vestitu, habitatione, ludo, studio, exercitio. Nec omitte dispicere, num proposita in exercitiis annuis, uti & in recollectione præcedente concepta, executioni data. Denique dolorem elice, denuò propone, gratiam pete; ac dispice utrum materia examinis particularis mutanda, & quænam mense sequenti assumenda.

### PRAXIS XVIII.

#### *Extirpandi vitia & peccata.*

I. **E**Xcita vehemens desiderium & certum vitium extirpandi propositum, illudque crebrò renova.

II. De vitii vel peccati illius sceditate, damnis, periculis, mediis emendandi, meditationes & considerationes institue.

III. A Christo ut causa exemplari, promerente & efficiente, omnis virtutis & puritatis gratiam flagita, per aspirationes manè, interdiu, vesperi, in sacro, examine, præsertim in periculo lapsus. Et Sanctorum virtute contraria præcellentium patrocinium implora.

IV. Juvat protestatio facta coram Deo, B. Virgine & S. Angelo Custode.

V. Vigilantia jugis & sollicita attentio ad seipsum præservandum, plurimum valet. *Attende tibi, ne incidas.* Eccli. 19.

VI. Viva memoria Dei præsentis, excitantis ad officium, intentantis supplicium, invitantis ad bravium.

VII. Post lapsum profunda sui coram Deo humilitatio, agnitio, deprecatio cum spe veniæ, contritione & zelo culpam eluendi, emendandi, compensandi.

VIII. Accurata peccatorum venialium examinatio, affectuosa confessio, rigida expiatio.

IX.

IX. Constans praxis recollectionis horarig, hebdomadaria, mensuræ. Ususq; diligens examinis particularis.

X. Fuga otii & occasionum relapsus.

XI. Assidua mortificatio.

XII. Fervor in spiritu proficiendi, & quodvis opus juxta industrias præscriptas bene peragendi.

Deniq; examinandus conatus, successusque bonus Christo offerendus, cum humiligratiarum actione, & proposito renovatione.

## PRAXIS XIX.

*Adipiscendi virtutes.*

**S**I turrim perfectionis serio ædificare desideres, sequentia virtutis acquirendæ media & instrumenta, necessaria sunt ad perficiendum.

I. Instrumentum est *cognitio virtutis*, cum enim vitia non raro larvam virtutum assumant; ne erretur: virtutis natura, proprietates, motiva, actus, gradus probe cognoscenda sunt. De quibus videatur P. Raynaudus, P. Jacobus Alvarez, P. Rosignolius, P. Rodericius.

c

II.

II. Instrumentum assequendæ virtutis est summa ejus *æstimatio* & *appretiatio*, quæ ex consideratione ejus honestatis, utilitatis, jucunditatis, pulchritudinis, & necessitatis oritur.

III. Instrumentum est *postulatio sese petitio*. Quemadmodum Salomon petivit Sapientiam & obtinuit. 3. Reg. 3.

IV. Instrumentum est *Dissidentia sui* cum nota sit nobis fragilitas nostra & impotentia, atque virtutis sublimitas. Tota itaque spes in Deo collocanda est: Qui confidit in illo, non minorabitur. Eccli. 3 2.

V. *Desiderium ingens virtutis*: cum hæc sit gemma pretiosissima & thesaurus incomparabilis, ornamentum animæ, fons saliens in vitam æternam. Beati qui esuriunt, quoniam saturabuntur.

VI. *Intentio actualis operandi ex fine virtutis*. Cavendus omnis finis præposterus & hypocrisis. Sed si credis, crede ob autoritatem Dei revelantis; si speras; spera ob Christi merita, si diligis Deum; dilige propter ipsum. Quamvis etiam pluriū virtutum motiva utilissimè conjungi queant.

VII. Robur mentis & *constantia* in quæ-

quærenda virtute. Cor enim hominis instabile est, quovis tentationis vento agibile; Adeoq; animus contra difficultates armandus est.

VIII. *Cura particularis* de vitio virtuti contrario extirpando, quod fit per examen particulare, & per antè dictam methodum extirpandi vitia.

IX. *Affidua exercitatio* virtutis. Virtus ubi est, non est otiosa, sed operatur: nulla occasio virtutis exercendæ omittenda. Belli Dux occasionem vincendi hostem negligens ab eo vincitur. Mercator occasionem lucri contemnens, detrimentum patitur. *Dum Tempus habemus, operemur bonum*, monet Apostolus.

X. *Vita regularis sequela & exacta Regularum custodia*. Hæc enim est expultrix vitiorum, genitrix virtutū & parens omnis perfectionis: quæ per totius diei decursum ad modestiam, humilitatem, obedientiam, patientiam, religionem, & charitatem manuducit. PRAXIS XX.

*Peragendi Quadruplex.*

**N**obile pietatis exercitium, manè aut per diem, præsertim Dominicis ac festis, aut dum plus temporis suppetit. I.



I. EXERCITIUM Spirituale.  
*Verè aureum sive methodus actiones  
ordinarias elevandi ad altissimum  
gradum meritorum.*

**C**lementissime Deus, Creator meus, quemadmodum totus sum tuus, ita tuum debet esse, quidquid procedit de me: per te me creasti; hinc multis titulis me ipsum tibi in totum debeo, cum omnibus actionibus meis, quæ nullius erunt valoris, si in te tanquam finem ultimum non fuerint directæ.

Ego igitur N. Vilissima Creatura tua offero tibi Bono meo infinito, in omni momento me ipsum, & totam vitam meam, omnesq; actiones meas, particulariter autem illas, quas facturus sum præfenti die, tam bonas, quàm indifferentes, tam liberas, quàm naturales; & ut tibi Deo meo magis placeant, omnes illas unio actionibus Christi Domini nostri & sanctissimæ Virginis Matris suæ, nec non sanctorum Spirituum beatorum & Sanctorum omnium, qui unquam fuerunt, sunt, & in omnem æternitatem erunt. Tibi etiam

con-

consecro omnes passus meos, locutiones & verba, obtutus & ius oculorum meorum, motus corporis mei, omnem cogitatum & spirationem cordis mei; hoc solum sine & desiderio, quòd vellem tibi per unamquamq; istarum actionum gloriam dare infinitam, & amare te infinito amore.

Intendo etiam cum omni operatione mea offerre tibi corda & affectus omnium Creaturarum, perfectionem & sanctitatem Angelorum omnium, Virtutes Patriarcharum, Prophetarum & Apostolorum, pœnas & dolores Martyrum, pœnitentiam Confessorum, puritatem & Castitatem Virginum, sanctitatem Beatorum omnium: finaliter Te ipsum, tibi ipsi, cum infinita perfectione & bonitate tua: hoc autem non ob obtinendam rem aliquam à te; nec ut possideam propter hoc paradysum; sed ut possideam propter hoc paradysum; sed ex puro amore amicitia & benevolentia: atque ad dandum tibi majus placitum, gustum & gloriam.

Nec solum offero tibi cor meum, voluntatem meam, intellectum meum, me ipsum, eo modo, quo tibi magis placet (id quod in unaquaque actione mea facere in-

d 3

tendo

tendo) sed etiam unà cum illis tibi offero, & ad te dirigo omnes illas actiones, quæ ab omnibus creaturis fient absque hac directione.

Uterius intendo tibi offerre omnes illos actus amoris, quibus (uti spero) amabo te per totam æternitatem, & nunc liberè tibi id ipsum præsentò, quod postea erit absque libertate. Simile intendo de omnibus actibus aliarum virtutum, faciendis tam per me, quàm per alios quoscunque Beatos in Paradiso.

Et quia omnis res tantò est excellentior, tibiq; gratior, quantò est conformior voluntati tuæ; in omni actione non solùm desidero conformare voluntatem meam voluntati tuæ; sed intendo id solùm adimplere, quod tibi placet, volens, ut fiat tua sola voluntas, & non mea, dicendo semper ore, corde, labiis & vitâ: Fiat, Domine, voluntas tua.

Dignare solùm Domine mi, hanc dare gratiam, ut possim semper magis ardentè amare te, perfectius servire tibi, purius operari ad gloriam tuam, & taliter transformari in te, ut in te solo vivam, & tibi soli

Secundum pietatis Exercitium. 103  
foli, & hæc sit mea hic in terris beatitudo, id agere, quod tuæ est beneplacitum voluntati. Amen.

## EXERCITIUM II.

*Ingenis meriti & efficacia, seu*

## PACTUM

*Cum Deo ineundum, manè  
vel in sacro.*

**H**omo Religiosus, modico labore, plurimum mereri cupiens, hujusmodi pactum cum Deo inire potest. Nempe quòd ad certa quædam signa, v.g. sonitum campanæ, aspectum cœli, tunctionem pectoris, verba, gressus, motus &c. (nam signa pro placito assumi & multiplicari possunt) velit & ratum habeat, quodvis opus bonum, & Deo gratum, quod unquam factum est, seu hodie fit, aut unquam deinceps futurum est, aut fieri possit. Item quod toties velit seipsum offerre Deo, dolere de peccatis, renovare proposita, vota, Deum adorare, amare, laudare &c.

Vim & valorem hujus actûs à contrario colligere licet: Si quis statueret secum quo-

quoties audit campanam, cœlum respicit &c. toties se velle ratum habere, quidquid unquam mali actum vel agendum est, optarê que se ejus esse participem; quantâ is se culpæ obstringeret? Hoc itaq; si in malo tam efficax est, quidni idem bono applicatum immensè virtutis & meriti erit? Sed en formulam hujusmodi pacti:

O benignissime Pater misericordiarum! Ego confilus de immensa bonitate tua, pro gloria nominis tui, & salute animæ meæ pactum quoddam tecum inire cupio in hunc modum.

Quoties cœlum suspexero, vel pectus percussero, vel piam imaginem aspexero, quoties horologium aut signum missæ vel elevationis hostiæ percepero, rosarium vel librum in manus accepero, quot literas scripsero, quot verba protulero, quot respirationes & arteriarum pulsus habuero, quoties membrum quodcunque movero, vel Dæmonem me in quacunque materia, fidei, spei, charitatis, castitatis, patientiæ, humilitatis &c. tentantem sensero, nunc pro tunc declaro, toties me facere & exercere velle, omni meliore, quo fieri potest,

modo & formâ, actus holce sequentes, licet fortè tunc ad hoc mentem minùs adverterem.

Toties, inquam, gaudeo & gratulor tibi ex animo, mi Deus, ob infinitas perfectiones tuas, quòd sis, qui es, id est, Deus summè potens, sapiens, bonus, misericors, justus, summum Creaturæ rationalis bonum &c. Quòd nullius egeas, utpote teplo sat beatus & sufficiens tibi, nostra autem omnis sufficientia ex te sit.

Gaudeo etiam Domine propter opera bona quæ unquam facta sunt, fiunt indies, fièntque in posterum, propter amorem tui: aliâq; omnia, quæ fieri possent ab iis, quos creâsti, & creare potuisses, idque eâ, quâ possibile est, perfectione.

Gaudeo ob ea, quæ Dominus nos ter Jesus Christus, B. V. Maria, SS. Angeli, Patriarchæ, Prophetæ, Apostoli, Martyres, Confessores, Virgines, omnesque Sancti & fideles omnes egerunt ad gloriam tuam, nec non ob amorem, quo te æternùm prosequuntur, & laudès quas tibi æternùm dicent.

Offero tibi omnia missæ sacrificia, quæ

vel hætenus in Ecclesia peracta, vel deinceps usq; ad consummationem seculi peragenda sunt, idque animo adorandi & laudandi te, uti Deum supremæ Majestatis potentia, sapientia, Bonitatis &c. Item gratias tibi agendi, nec non placandi te, & bona gratia & gloria impetrandi à te.

Doleo de peccatis meis omnibus & singulis ex animo, propter amorem tui: spero de infinita misericordia tua veniam, propono cum gratia tua non amplius offendere te in æternum.

Doleo quoq; de tot peccatis à mundi initio hucusq; à quocunq; homine commissis usque te tam graviter offensum. Opto ex animo, ut compensari aliquatenus meo sanguine possent: utinam vice cuiusque peccati singulis æternitatis momentis mille tibi obsequia à SS. Angelis & omnibus Beatis deferantur.

Dimitto ex animo, amore tui omnibus, qui me offenderunt, vel quomodocunque læserunt, & opto illis pro singulis offensis à te peculiarem aliquam gratiam seu beneficium. Et utinam nunquam ipsi tuam offensam incurrant.

In

In manus tuas committo me, & omnia mea, præsertim finem vitæ meæ, ut disponas de me, uti re maximè tua, in tempore & æternitate, quod tibi placuerit & visum fuerit, fore ad majorem gloriam tuam.

Postremò offero tibi, quidquid possum melius & meliori modo, præcipuè verò vitam, passionem & sanguinem D.N.J.C. in gratiarum actionem pro beneficiis omnibus corporis & animæ, quæ hætenus à te accepi, & deinceps accipiam, præsertim pro charitate, quæ ab æterno dilexisti me, & pro dono perseverantiæ obtinendo, ut tibi inseparabiliter adhæream.

Hunc ipsum actum quoad singula membra, aliâque his implicite inclusa toties ratum esse volo, quoties aliquod è signis præstitutis vel præstituendis, edidero; imò tot vicibus, quot creature, à te productæ sunt, aut à te produci possunt, quoties spiritum duxero, deniq; quoties possibile vel imaginabile est, id ipsum iterari ac multiplicari; atque hoc purè ob amorem tui, omnèsque bonos ac sanctos fines, quos habuit Christus Dominus, B. V. Omnes Sancti, aut qui ab ullo haberi possunt.

Si

Domine quod dixi, dictum, factum, gratum, ratumque volo, affectu, effectu, fructuque (quoad licet) maximo.

*Si indies hoc pactū per tempus non liceas renovare, renova brevissime, ut sequitur.*

Gaudeo, Summe Deus, doleo, commendo remitto:

Offero sacra, preces, pactūq, cuncta probo.

### EXERCITIUM III.

*De pluribus finibus supernaturalibus subordinatis præstantissimo fini amoris divini, artificiose coniugendis: sive Negotatio spiritualis ac methodus, unius anni spatio tantum merendi ac lucrandi, atq, alias annis pluribus.*

**D**omine Deus Sanctissime, & amantissime Pater mi, in unione meritum Domini mei Jesu Christi, Sanctissime Virginis & omnium Sanctorum, per eorundem & S. Angeli Custodis mei manum, & omnium Creaturarū nomine, non solum pro nunc, sed pro æternitate, quantum in me est, majori, quo possum, affectu & modo, quem scis meliorem, tibiq; acceptiorem esse, offero divine Majestati tuæ hoc opus (hanc molestiam, laborem, dolorem, crucem) cum intentione. 1.

1. Placendi tibi soli, te oblectandi, tibi que suavissimum gustum dandi; quia ob infinitam tuam bonitatem & perfectionem dignus es. *Charitas.*

2. Quia sic spero me per infinitam bonitatem, amorem & fidelitatem tuam obtenturum gratiam & gloriam. *Spes.*

3. Quia credo te hinc præsentem esse, posse & velle me audire & exaudire. *Fides.*

4. Quia ista actione te honorare, tibiq; servire cupio, velut meo principio primo & fini ultimo. *Religio.*

5. Quia sic imitari intendo meum & tuum Jesum, ð æterne Pater! sanctissimamque Virginem & omnes Sanctos tuos. *Imitatio Sanctorum*

6. Quia hoc modo refarcire desidero, ingratiudinem & injurias, quibus ego cum aliis peccatoribus te offendi. *Penitentia & zelus honoris Dei.*

7. Quia hoc requirit obligatio gratitudinis, pro tuo amore & beneficiis mihi aliisq; præstitis. *Gratitudo.*

8. Quia bene operando evadere cupio pœnas purgatorii, multoq; magis Inferni. *Timor Supernaturalis*

9. Ut actiones meæ justæ, bonæque exempli adificent proximum, illique vel vivo vel mortuo profint. *Charitas fraternæ.*

10. Propter bonum, quod in Republicam Christianam aut Religionem, cujus membrum sum, inde resultat. *Pietas & Justitia legalis.*

11. Quia operibus virtutum mereri, volo à te Deo meo gratiam & gloriam. *Meritum.*

12. Ut impetrem à tua liberalissima manu auxilium & favorem in meam & aliorum utilitatem. *Impetratio.*

13. Quia tali modo pro pœna peccatis meis debita, Justitiæ tuæ satisfacere desidero. *Satisfactio vel Justitia vindicativa.*

14. Quia sic obedio, mi Deus & Domine tibi sanctisq; præceptis & regulis tuis. *Obedientia.*

15. Ut hac moneta operum virtuosorum solvam debita, ad quæ vel justitia vel fidelitas aliis præstanda me obligat. *Justitia & fidelitas.*

16. Ut subjiciam me divinæ tuæ voluntati, velut indignissimū & egentissimū propter peccata mea. *Humilitas.* 17.

17. Quia sanctè operando reprimere & vincere volo inordinatarum passionum mearum difficultates. *Fortitudo, Mortificatio.*

18. Ut labore & exercitio corporis & animæ impediam ac vincam motus & cogitationes castitati contrarias. *Castitas.*

19. Quia hoc dicitur vera prudentia, ut quamdiu bona valetudo & tempus conceditur, bene operer, meque virtutum exercitio strenuè excolam. *Prudentia.*

20. Quia rationi, honestatique conforme est, ut virtutes exerceam. *Virtus in genere.*

Denique hæc ipsa præcedentia virtutum motiva, propter quæ, operationes meas, perficere intendo, omnia offero, ut tibi amabilissimo & summo Bono meo complaceam. Tu ad juva me, ut cum gratia tua incipiam, prosequar & finiam omnes operationes meas ad majorem tuam gloriam. Amen.

*Vide Heliotropium P. Alphonsi Gianotti.*

## EXERCITIUM IV.

*Velut diadema è variis virtutum gem-  
mis adornatum, continens*

## ACTUS VIRTUTUM

**I**n quibus omnis actum heroicorum & devotionum succus consistit, jussu Alexandri VII. Pontificis ab aliquo è Societate nostra compositos, eidemque familiares. Recita eos coram Venerabili Sacramento, vel Crucifixo. Sunt autem sequentes.

Adoro te sanctissima Trinitas, Pater & Filius & Spiritus Sanctus, tres Personæ unus & solus Deus.

Dejicio me in abyſſo mei nihili sub conspectu Divina Majestatis tuæ.

Credo firmissimè, paratus mille vitas profundere, in contestationem omnium eorum, quæ nobis in Sacra Scriptura revelasti, & per Ecclesiam tuam credenda proposuisti.

Omniem spem meam in te colloco, & quidquid possum habere boni, sive spiritualis, sive corporalis, & in hac & in altera vita id totum desidero, spero, & volo solum

lum consequi de tua manu, Deus meus, vita mea, & unica spes mea.

Consigno tibi hodie & in perpetuum corpus & animam meam, omnes potentias meas, memoram, intellectum, voluntatem, & omnes sensus meos.

Protestor me non consentire, neque consensurum unquam, quantum in me est, in ullam rem, quæ fiat, vel cum minima offensa tuæ Divinæ Majestatis.

Propono firmissimè impendere, omne esse meum, facultates & vires meas ad servitium & gloriam tuam.

Paratus sum suspicere, quascunque adversitates Paterna manus tua immiserit, ad dandum gustum beatissimo cordi tuo.

Vellem me totum, quantus, quantus sum impendere, & procurare, ut ab omnibus tibi serviat; atq; omnes homines re glorificent & ament Deum Creatorem suum.

Gaudeo summè de tua æterna felicitate, & exulto de tua magna gloria in cælo & in terra.

Gratias tibi ago infinitas pro innumeris beneficiis, quæ mihi & toti mundo col-

114  
IV. Pietatis Exercitium.

collata sunt, & in dies incessanter à benignissima tua providentia conferuntur.

Amo infinitam Bonitatem tuam propter seipsam, ex toto affectu cordis & animæ meæ & vellem, si possem, amare eo amore, quo te amant Angeli & Homines justi, cum quorum amore conjungo imperfectissimum amorem meum.

Offero Divinæ Majestati tuæ in unione meritorum, passionis, vitæ & mortis Christi, Beatissimæ semper Virginis & omnium Sanctorum, ex nunc, pro semper omnia opera mea, pretiosissimo sanguine Jesu Redemptoris mei lota & involuta.

Statuo omnino, quantum possibile est, participem me facere indulgentiarum, per actiones hujus dici, & illas applicare per modum suffragii, pro animabus purgatorii.

Volo etiam omne illud, quod possum offerre in penitentiam & satisfactionem peccatorum meorum.

DEUS meus, cum tu sis infinite dignus omni amore & servitio, siquidem tu es, qui es dolo quantum possum maxime de omnibus peccatis meis, illaq; detestor  
su,

Praxis XXI.

115

supra omnia alia mala; peto humillimè veniam, faciòque firmissimum propositum nunquam offendendi tuam Bonitatem in æternum.

In vulnera tua me projicio, ô Jesu! ibi me absconde & defende, hodie & semper; donec largiaris gratiam videndi tui & amandi in æternum. Amen.

*JESU, MARIA, JOSEPH,*  
Vobis, dono meum cor & animam meam.

PRAXIS XXI.

*Preparandi se ad sanctam mortem.*

Quemadmodum mundani iter longinquum ingressuri, pro feliciori progressu, itinerarium seu diarium conficiunt viæ ineundæ, difficultatèsque prævias remouent, ut ad terminum securius perveniant. Æquiore jure Religiosus Societatis ex hoc mundo ad alium migraturus, & iter æternitatis ingressurus, impedimenta removebit, itèrque suum disponet, ut portum salutis æternæ certius attingere valeat: *Vide Itinerarium ad futuram vitam, R. P. Vincentii Carrafa.*

I. Iti-

*Iter I. seu I. Dies Itineris.*

**I**N principio morbi, cum Christo initio passionis, recurre ad sanctam orationem & resignationem: *Pater si possibile est, transeat à me calix iste, veruntamen nõ mea sed tua voluntas fiat.* Deinde exerce alias quoq; virtutes. 1. Fidem, spem, charitatem. 2. Præsentiam Dei. 3. Contritionem. 4. Patientiam. 5. Perseverantiam. Et cum S. Fulgentio crebrò repete: Domine modò patientiam, postea indulgentiam.

*Itineris Dies II.*

**C**onde testamentum: & reddatur cuique quod suum est, anima Deo, Cor B. Virgini, corpus terræ, &c. *Vide testamentum S. Caroli Borromæi, vel ex P. Nadalesi.*

*Dies III.*

**S**I vel Superior, vel P. Spiritualis vel alius amicus, dum Medicus probabile mortis periculum aesse iudicat, mortem imminere tibi insinuet; nuntium hoc patato, promptòque animo accepta, dicens; *Paratum cor meum Deus, paratum cor meum, cantabo & psalmum dicam. Pater venit*

*Praxis XXI. preparandi se ad sanctam mort. 117 hora, clarifica filium tuum, ut filius clarificet te.* Venit hora, finis temporis, initium æternitatis. Atque exclusis omnibus aliis negotiis, solùm invigila negotiis animæ. Et ut alacrius moriaris, considera motiva sequentia. 1. Mors est sepultura vitiorum, tentationum, tribulationum. 2. Spes propinqua videndi Deum, B. V. SS. 3. Voluntas Dei.

*Dies IV.*

**S**I infirmitas in vitæ periculum te ducat muniendum te cures supremis sacramentis. 1. Exomologesin institue quàm potes diligentissimè, amoris scrupulis & anxietate, cum fiducia in Dei misericordia & Christi meritis. 2. Viaticum accipe cum vivacissima fide, certa spe, ardenti charitate, profunda reverentia. 3. Deniq; Suscipe Sacramentum extreme Unctionis.

*Dies V.*

**O**curre strenuè tentationibus in morte infestare solitis. 1. Tentationibus contra fidem, occurre orando, aures occludendo, contrarios actus eliciendo, cum Dæmone non disputando. 2. Tentationibus contra spem, oppone Dei misericordiam

diam infinitam, Christi passionem, & veniæ promissionem. 3. Tentationibus contra Charitatem, *resiste* ut monet Apostolus, 1. Petri 5. *Fortis in fide*, constans in elicienda charitate.

## Dies VI.

**C**irca finem vitæ hos protestationis actus elice.

I. Protestor, quòd mori velim, ut verus Christianus Catholicus, Societatis Jesu religiosus, & contritus de peccatis.

II. Protestor, quòd vivere & mori cupiam in vera fide, spe, charitate, cum invocatione SS. nominis Jesu & Mariæ.

III. Protestor me ob peccata multoties meruisse infernum sed tamen fateor, infinities majorem esse Dei misericordiam, iniquitate meâ, majora esse Christi merita, demeritis meis.

IV. Protestor, quod salutis meæ spem fundaverim potissimum in sanguine Christi efficacissimo, & B. V. Mariæ patrocini potentissimo.


V. Protestor, quod nunquam consentire velim Dæmonis tentationibus & confirmo voluntatis Divinæ dispositionem tam circa animam, quàm circa corpus meū. *Dies*

## Dies VII.

**D**enique varios devotionis actus tempore mortis exerce.

1. Abdica te aliis negotiis, & uni animæ salutis intende. 2. Frequenter signo crucis te muni. 3. Accende candelam benedictam, quæ significat, splendorem fidei & ardorem charitatis, & quòd moriaris tanquam servus fidelis, accensâ lucernâ expectans Dominum vocantem ad nuptias. 4. Gestâ manibus palmam benedictam, in signum victoriæ de inimicis & secuturi triumphi in cœlis. 5. Statue ante oculos imaginem Christi Crucifixi & B. M. V. & S. Angeli Custodis. 6. Cura prælegi commendationem animæ, passionem Domini, vel alia isti tempori congrua. 7. Pete, ut si non possis mori velut Martyr fidei, saltem moriaris ut Martyr amoris, moriens ex amore & desiderio videndi & glorificandi Deum. Et in hoc actu expira. Hæc est pretiosa mors Sanctorum; spirare amando & amare spirando, Repetendo ad extremum sæpius verba Christi morientis: In manus tuas commendo spiritum meum, & sanctissima Jesu & Mariæ nomina.

F I N I S.



INDEX IN APPENDICEM  
HOROLOGI SCHOLASTICORUM.

*Præces sese præparandi &c.*

I. <i>Communis ad omnia festa Christi Domini.</i>	p. 1.
II. <i>Specialis ad festum Nativ. Domini.</i>	3
III. <i>Pietransgendi dies Antecinerales.</i>	6
IV. <i>Affectuum tempore quadragesimæ.</i>	8
V. <i>Devotionis ante sepulchrum Domini.</i>	12
VI. <i>Erga Christum Dom. à morte resurgentem.</i>	16
VII. <i>Præparandi se ad festum Pentecostes.</i>	19
VIII. <i>Devotionis per octavam Corporis Christi.</i>	20
IX. <i>Colendi Deiparam &amp;c.</i>	22
X. <i>Patronum anni, mensis, nominis.</i>	27
XI. <i>Diem Vocationis seu ingressus in Societatem.</i>	29
XII. <i>Juvandi animas in purgatorio.</i>	32
XIII. <i>Obeundi exercitia obstidiana.</i>	36
XIV. <i>Recollektionis triduanæ in hieme.</i>	58
XV. <i>Ante renovationem votorum in æstate.</i>	66
XVI. <i>Reddendirationem Conscientiæ.</i>	80
XVII. <i>Recolligendi se quot mensibus, aut hebdomadæ.</i>	91
XVIII. <i>Extirpandi vitia.</i>	95
XIX. <i>Adipsendi virtutes.</i>	97
XX. <i>Peragendi quadruplex pietatis Exercitium.</i>	99
XXI. <i>Præparandi se ad Sanctam mortem.</i>	115

OSNABRUGI, impress. G. Schorlemerus  
Anno Christi 1696.



